JOH. CONR. PEYERI PARERGA ANATOMICA ET MEDICA, ...

Johann Conrad Peyer, Adriaan Schoonebeek



Ad Lectorem

PRÆFATIO.

Parerga edimus tantisper, benevole lector, dum per ætatem facultatesque operibus nos manum admovere grandioribus contingat. Talia autem illa sunt arbitratu quidem nostro & insignium quorundam virorum, quibus ante editionem ea commonstravimus, ut cum oblectamentum suave tum utilitatem haut mediocrem animo infundere queant, & placere quà brevitate succincta quà varietate rerum grata; si quis modo ad legendum eam voluntatem afferat, quam nos in scribendo adhibuimus, atque apes præterea imitetur in singulis flosculis mel invenientes ac haurientes, non venenum. Lustrum effluxit propemodum ex quo primam exercitationem de glandulis intestinorum Scaphusiæ imprimi curavimus, tanto successu fortunatam, ut probaretur bonis omnibus, indeque distractis brevi exemplaribus bibliopola quidam extraneus me ad alteram editio-

nem folicitaret. Quod vero tunc temporis, præstare gravioribus curis aliis & peregrinationibus ab opere impediti nequibamus, id nunc cum fœnore perficimus. Primo enim exercitationem illam primam emendatiorem damus, quippe aptioribus dictionibus ad sensum penitus exprimendum hinc inde expolitam. Deinde priori exercitationem novam adjicimus pro auctario, ad hoc quidem prægnantibus inducti rationibus, quas ibidem literis consignatas legere si libet licet. Porro cum Johannes de Muralto, eximius Turicensium medicus usu glandularum in intestinis privatim & publice nobiscum diu multumque litigans tandem ad arbitros aut judices provocaret in re ancipiti sibi visa, partes utique meæ fuerunt, ne causa caderem, non tantum objectiones ejus diluere in clavi medicinæ propositas, sed etiam epistolas in medium adducere, quibus ille calamum nostrum lacessivit atque exercuit. Certamen itaque epistolare istud exercitationi se-

cundæ de glandulis intestinorum adstruimus, ut alii quorum interest de harum usu studiisque nostris melius judicent. Hisce scriptis jam præterea methodum historiarum anatomico-medicarum jungimus, ante triennium & quod excurrit Parisiis divulgatam, qua quid velimus præfatio singularis docebit. Demum schediasmata quædam alia de variis rebus ad anatomiam artemque medicam pertinentibus scripta subjungimus, quæ lucem hactenus nondum viderunt, atque adeo novitate quoque sua afficere & delectare poterunt curiosos, quorum maxime desideria implere votisque annuere studemus, sed ita ne tempus incuriose perdamus curiositatibus. Habes ergo, gratiose lector, materiem rationemque qua parerga hæc nostra coaluerunt: tuum erit iis grate suaviterque frui, quæ experientia & labore multiplici studioque parta tibi gratis offerimus atque donamus. Vale. Dabam Scaphusiæ mense Augusto anno Christi CIↃIↃ LXXXI.

INDEX
PARERGORUM.

[illegible]

[illegible]

JOH.

JOH. CONR. PEYERI
METHODUS
HISTORIARUM
ANATOMICO-MEDICARUM

Exemplo ascitis vitalium organorum vitio ex pericardii coalitu cum corde nati illustrata.

Editio secunda priore correctior.

PAREGON TERTIUM.

Clarissimo Viro

D. IOSEPHO DU VERNEY

M. D. atque in Regia Academia scientiarum quæ Parisiis est, Anatomico.

JOHANNES CONRADUS PEYER
S. P. D.


NON diu est, experientissime vir, cum regio in horto deambulantibus nobis multus de anatome sermo esset. Mirabar equidem tunc atque dolebam in urbe nosocomiis instructissima tot indies cadavera nemine dissecante, , ut mortis causa exploraretur, terræ mandari. Et quidni doluissem? Publicum enim detrimentum & jactura ingens. Ut taceam alibi magna contentione numeratoque auro parari quod hic parvi putatur aut tanquam inutile abjicitur. Solatio nihilominus tua mihi fuit industria, qua eo te animadvertebam eniti huic unde medela damno affulgeret. Igitur quam

quam tunc temporis tu ſperaveras & ego in votis unice habueram defunctos in noſocomio diſſecandi poreſtatem Primatum ſuffragiis te jam obtinuiſſe vehementer gaudeo & gratulor tibi, mihi, publico. Tibi inquam cui falcem in præclaram adeo meſſem immittere contingit: nec dici facile poteſt tune iſtam provinciam an hæc tantum virum magis deceat. Id ratum eſt anatomica dexteritate & peritia vix te dari quenquam ſuperiorem. Deinde & mihi gratulor; nam experimentorum tuorum ſocio ac inſpectori ſic eſſe licet. Publico denique cujus erit rariorum hiſtoriarum mergites integris plauſtris convehere tuisque muneribus ſuaviter frui. Quod ad obtrectatores attinet, non eſt cur illos metuas quibus tumet es terrori futurus: nam aut ipſi livida confecti invidia peribunt, aut aliquando ad experimentorum tuorum lucem noctuæ inſtar miſere cœcutient. Neque enim potes ignorare Senecæ monito nunquam melius torqueri invidos quam virtuti & gloriæ inſerviendo. Cujus præclara in opere quod de generatione hominis animaliumque meditaris ſpecimina te editurum haut inaniter auguror, ad confundendum omnes qui mulierum ovario atque ovis dicam iterum iterumque ſcribere non erubeſcunt deque illis veriſſimam doctrinam ceu ridiculam ac impoſſibilem traducere. Quapropter mactus virtute, velut alter Harvejus, detectis adverſariorum erroribus ad veritatem, quam alii proſcribunt ab exilio liberandam propera. Sic exantlatis feliciter laboribus ſempiterna te

quondam

quondam trophæa manebunt, & Regi vestro, Academiæ, Urbique gloriosum erit tantum aluisse civem. Quod superest, Vir amicissime, ut hocce munusculum, quod tibi in amicitiæ pignus nunc do ac dono, benigne accipias majorem in modum rogo. Vale decus anatomes, atque ex Pindari Lyricorum poetarum optimi præcepto Olymp. od. V. conare rempublicam anatomicam *ἐυανορίαισι κλυταῖς δαιδάλλειν*. Dabam Lutetiæ Parisiorum mense Aprilis anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo.

LECTORI



Lectori S.

Sisto tibi, Lector, hanc methodum, exemplo illustratum: sed & tu gradum siste, antequam procurras, & rationes audi. Ad medicinæ perfectionem nihil desiderari præterquam historiarum anatomico-medicarum sylvam amplius existimo. Satis quidem superque ab anatomicis laboratum est hactenus, omnes humani corporis fibras ac oras perlustrantibus ut genuinus innotescat partium usus & compositio. Verum in tanta aliorum ubertate anatomicis circa defunctos observationibus ad exponendam morbi sedem & causas, quod in arte medica palmarium, adhuc indigere videmur. Quibus tamen cave credas nos primam conscribendis manum admovisse. Majorum diligentium id pridem, sed & hoc imprimis sæculo fecere; utilitatis immensitate, non rei suavitate, allecti. Integras tibi nominare societates, imperatorias, regias, possem: Wepferos item, Bartholinos, Willisios, & alios, qui compositis id genus historiis immortalem gloriam impetrarunt. Quibus & Theophilum Bonetum stupenda diligentia anatomicas aliorum observationes omnes tum & suas quoque in unum volumen redigentem accenseo. Nam unica hæc ad veram pathologiam via est extra quam error ac opinionum ludibria. Est vero in aliis ferme omnibus, sed in hoc nulla, fatuitas:

tietas: quo enim plures parantur eo & appetuntur plures historiæ. Quippe posteriores sunt priorum veluti condimentum, & hæ illarum illecebræ. Non itaque gratum quis magis & acceptius posteritati esse poterit quam huic operam res navando. Quin sic etiam suspectæ de nimiis conjecturis arti mirum quantum certitudinis adjicitur, detectis insimul iis quæ obscuro sepulta tumulo æternum latuissent. Etenim quid, obsecro, evidentius quam morborum cognitionem è defunctis uti naturalis philosophia ex ipsa rerum natura, non è solis libris, esse comparandam. Huc igitur & ego, quantum per meam juventutem licet, symbolum conferre volui; alia, si pauca hæc non displicuerint, secuturis annis fortunante Deo plura collaturus. Iam perge, & vale.

Ad

Nobilissimum & Clarissimum AUTOREM.

FUneribus vitam, mirum, constare salutem
Vulnere. Sed summus præstat utrumque Deus.
Præstant & medici, misso in penetralia ferro,
Funeris ut pretium munera viva ferant.
Artem divinam, divinas insuper omnes,
Consobrine, tuas quis neget historias?

P.
JOH CONRADUS PEYER
im Hof LL.C.

INDEX CAPITUM
hujus methodi.

Johannis

Johannis Conradi Peyeri

METHODUS HISTORIARUM ANATOMICO-MEDICARUM.

CAPUT I.

De præcipuis argumenti capitibus & compositione historiarum in genere.

Historia anatomico-medica est rerum memorabilium circa valetudinem in corpore humano durante vita & post obitum contingentium ac observatarum verbis aut literis expressa narratio. Anatomicam ideo nuncupamus, quia comprehendit ea omnia quæ post mortem in cadaveribus defunctorum ab anatomico, vel in hujus vicem medico aut etiam chirurgo, dissectis notatu digna atque à naturæ lege aberrantia in lucem veluti cæsones ferro producuntur. Medicam autem, quoniam hominum valetudinis res prosperas & adversas, morborum ac symptomatum injurias recenset, plurimumque medicinæ perfectionis & medico in facienda sani-

tate commodi accedit. Vocantur alias etiam observationes. Imo Theophilo Boneto placuit historiarum anatomico-medicarum opus suum anatomiæ practicæ nomine mactare; nec incongrue, dummodo practicæ epithetum non de anatome ipsa, suapte naturalis jam est, sed de arte medica, quo collimat, accipiatur. Methodus vero ars est historias tales apte concipiendi & ordinate disponendi. Compositio singularum historiarum descriptionem, dispositio plurium in certas classes distributionem, respicit. Historiæ anatomico-medicæ componendæ alia τὸ εἶναι sive essentiam, alia τὸ εὖ εἶναι perfectionem puta & ornatum, largiuntur. Illa sunt morbi symptomatumque omnium recensio & viscerum ac organorum affectorum post mortem descriptio: hæc vitæ anteactæ, sexus item, ætatis, temperamenti, aliarumque id genus circumstantiarum narratio; de morbi denique & symptomatum generatione ac causis conveniens inspectioni judicium. Possunt vero duobus universa capitibus comprehendi, priore conditionem hominis ante mortem per omne vitæ curriculum, posteriore statum cadaveris post animæ separationem, exponente. In viventibus porro duplicem juvat statum, valetudinis secundæ & adversæ perpendere: nam ex utroque invicem probe diligenterque collato non parum lucis illustrandæ postmodum aitiologiæ affulgebit.

CAPUT

CAPUT II.

De rebus circa sanitatem observandis.

IN scrutinio rerum secundum naturam primo investigandus personæ, cujus pertexere historiam animus est, ortus consignandique parentes. Id enim notasse refert; tunc imprimis quando transfusæ primitus in fœtum seu contractæ in utero labis vestigia in morbo se produnt. Cui etiam tanto incumbendum est diligentius, quanto istius communicationis ac velut transplantationis causæ & modus una cum remediis altius nos hucusque latent. Deinde nomen adscribendum & genus: eo quippe propagata in seram usque posteritatem historiæ fide suspicio efficta pro ingenii libidine fabulæ tollitur. Quod idem præstat quoque temporis & soli natalis commemoratio. Est vero hic etiam perinde ac in reliquis omnibus viri boni actionibus prudentia & circumspectione opus: aliquando namque propinqui defuncti nominis & morbi divulgationem ægre ferentes concepto in historiographum odio artem simul universam convitiis proscindunt, in malam abire crucem jussis omnibus ejus cultoribus. Huic igitur incommodo, si quod metuitur, nominis proprii seu appellativi suppressione obviam eundum aliisque modis tunc ita stabilienda est relatio ut in dubium à nemine vocari queat. Post hæc verbo dixisse ætatem & sexum convenit, cujus observationem inculcavit

etiam Hippocrates, & post eum omnes, nec sine ratione: quemadmodum enim empirici male agunt idem medicamentum uno omnibus modo sine individuorum discrimine temere porrigendo, ita non melius faciunt illi medicorum qui de morbi unius ejusdemque generatione & causa differentes apud utrumque sexum insuperhabita ætate eandem cantilenam recitant. Non utique parum differunt variante sexu & ætate morborum causæ, quas imprudentiores alii easdem perpetuo, sed præpostere, judicabunt. Dehinc temperamenti injicienda mentio: nec refert expressis id verbis fiat vel allatis duntaxat signis & per periphrasin. Non equidem ignoro quosdam hujus ævi philosophos, quin & medicos, explosa veterum de temperamentis doctrina solicitos ejus observatores ridere. Ast è vultu nihilominus & cute latentis sanguinis diathesin ac indolem viscerumque adeo dispositionem haut fallaci judicio colligi posse omnes fateri tenebuntur quotquot animum bis diligenter advertere studuerint. Quinimo in cadaveribus superstites quandoque lineamentorum characteres de hominum dum in vivis essent genio tacite nos quodammodo erudiunt: ita Hannibalem quoque ex Marcelli cadavere de forma, robore, animoque viri judicium sumsisse apud Plutarchum legimus. Et quanquam auguriis è physiognomia ac quæ ad eam pertinent metoposcopia atque cheiromantia tantum tribuamus quantum anilibus fabulis, legitimæ tamen conjecturæ quis

quis locum denegare posset? Unde ad hæc etiam non negligenter est attendendum, quis interdum forte ignoti & de quo nihil fando accepimus administranda venit dissectio. Jam ipsam considerare vitam reliquam oportet, quippe in cujus tranquillitate sanitatis prora & puppis est, in tempestatibus naufragium. In censum itaque regio vocetur in qua altus & educatus quis fuerit aut aliàs diu multumque vixerit: nihil etenim verius est quam pro cœl & soli diversitate valetudinem admodum variare, nec non hujus mutatione maxime notabilem sanguini ac universo denique corpori alterationem imprimi. Ad hæc quæ ad victum pertinent alia juxta seriem sex rerum, ut vulgo Arabum ductu vocant, nonnaturalium sunt adducenda, atque ex his potissimum illæ quarum anomala morbum genitum altumque judicabimus: siquidem certum omnino sit præcipua sanitatis & vitæ dispendia victus erroribus deberi. Et quanquam alii pathemata animi ferme prorsus omittere aut ultimo ponere loco consueverunt, nos tamen illis tam in sanitatis conservatione quam pleorumque affectuum productione primas eo libentius tribuimus quo frequentius exploratum est mbis in hoc cardine utramque valetudinem sæpe unicè versari; id quod etiam eruditissimus Henricus Screta à Zavorziz in opere de febre castrensi ingeniosissimo diligenter notavit. Quod de victu diximus idem esto de vitæ genere judicium: nam & hoc accurate examinato opus est

propter redundantia ex ejus bonitate vel pravitate in mortales commoda aut detrimenta; notum est enim vitam viventes in otio sedentariam infirmitate citius diutiusque premi laborem & negotia curantibus. Sed & artium nonnullas opificum valetudini tacite insidiari eos vel in phthisin vel paralysin ipsamve tandem Charontis cymbam præcipitando quis nescit. Huc denique & matrimonium referimus, in quo an quis vixerit, & quamdiu, fæcundusque, aut sterilis, scitu est necessarium, deque uxoribus puerperia.

CAPUT III.

De rebus præter naturam.

EMenso hunc in modum prosperitatis curriculo dataque rerum secundum naturam ichnographia ad statum præternaturalem valtudinis sinistræ est accedendum. Hic calamitates & mala quotquot inde ab infantia hominem unquam presserunt aut exercuerunt enumerabuntur omnia: illa enim nosse expedit, ut eo felidus circa ætiologiam postea versemur; nam sæpe præcedentium reliquiæ futurorum sunt semina morborum. Imprimis autem fatalis ille morbus est excutiendus qui postremo affligens disrupto vitæ filo animam superstite cadavere divulsit: quippe hujus dignoscendi ergo reliqua omnia instituuntur. Idcirco ægritudine à suis velut incunabulis deducta principium

principium ejus progressus & tandem catastrophe diligentissime recenseatur, non omissis comitibus aliis symptomatis; quorum sane tam exigui momenti nullum esse potest quin lucis quid ad inveniendum pressius morbi genium afferat. Enimvero sicuti peritos venatores feram e solo vestigio atque ex ungue leonem mira sagacitate cognoscere usus docuit, ita summæ id in medico prudentiæ & sagacitatis est posse morborum latibula speciemque ex symptomatibus colligere. Omnia autem hic sigillatim recensere velle ad quæ potissimum animus calamulque dirigendus est, esset singulorum morborum & symptomatum aliarumve in morbis sæpissime occurrentium mutationum classes prolixo sed inutili catalogo describere: artis namque peritum non possunt hæc latere. Quare longius etiam eorum recensioni haut immoratos id tantum adhuc monemus non inutiliter si quidem volupe fuerit usurpata quoque remedia commemorari, quæque eorum exhibitionem secuta sunt commoda vel incommoda: nam & hoc ad faciendam in aliis eo felicius artem morbumque internoscendum ponderis nonnihil habet.

CAPUT IV.

De cadaveris dissectione.

TAndem ut ad cadaveris examen ventum fuerit eadem in describendo quæ in dissecando methodus congrue servari potest. Illi autem patti vel cavitati primum admovendus est, nostro quidem judicio, culter & manus in qua laborantem partem latere existimaveri-mus: verendum enim ut diuturnior in aliis mora ac inutili occupatione id negligatur aut interturbetur quod maximi ad rem præsentem momenti foret & antea perlustrata opportune sede facile deprehendi potuisset. Itaque ne occasio quæ præceps est, forsan elabatur, cum in cerebro locum affectum ponimus ocyus calvaria, si in thorace sternum, si in abdomine ejus integumenta auferantur, ut nulla mora quidquid subest labis in conspectum veniat. Absit tamen præceps nimis impetus & ferocia: nam placida & cauta in his manu opus est, ne forte lædantur vel temere destruantur quorum conservatio fuisset ex usu. Neque vero solummodo manus & oculi, ut operentur ac videant, sed præsens quoque animus requiritur qa solerter ac ad amussim omnia observaturus retenturusque quæ a naturali constitutione

ftitutione tanquam Polycleti ftatua quovis modo deflectunt, ut poftea feliciter reddi literifve mandari queant. Unde quidem fatis jam apparet neminem ifto diffectoris aut hiftoriographi munere fungi cum fructu poffe præterquam in anatome fanorum, hoc eft violento fato peremtorum prius optime exercitatum. Neque id operis quod fieri affolet facile chirurgo effe relinquendum, nifi anatomica peritia & dexteritate fingulariter pollenti; fecus afinus ad lyram vel cœcus de coloribus. A medico igitur aut infigni quodam anatomico omnia fieri oportet, ne loco veritatis errores & mendacia, quorum nimia dudum fuit luxuries, obtrudantur. Hunc in finem adeffe etiam obfervatorum teftes expedit, ad quorum fuffragia re flagitante provocetur. Bonum autem eft omni ægritudinum genere defunctorum cadavera, quorum haberi copia poteft diffecari atque defcribi. Eft enim hæc unica ad folidam morborum notitiam perveniendi ratio, fexcentis verbofiffimis alias fyftematibus artis præftantior. Pefte tamen aut fimili contagiofa lue confectos evifcerare religio: nam & noftra memoria nonnulli mortis caufam in his curiofius fcrutantes mortem fibi hauftis malis exhalationibus ipfi confciverunt. Neque utile folum variorum unam condere hiftoriam fed de eodem morbo hiftorias plures, quia experimentorum multitudo folidiffimum veritati ful-

crum

crum præbet. Quoties igitur in partium solidarum una vel pluribus anomali quid & morbidi reperitur, protenus illud solertissime considerandum examinandumque est quantum à legitima naturæ norma deflectat; ut singula postmodum literis consignari queant. Quemadmodum autem partium & viscerum sanorum substantiam potissimum & magnitudinem & figuram & situm & connexionem scrutamur, ita similiter quæ in substantia seu parenchymate, dimensionibus, numero, pondere, conformatione, positu, unitate, & aliis, vitia ac mutationes obveniunt ordine notabuntur; id quod alicubi etiam docuisse Th. Bartholinum accepimus. Quem in finem expedit etiam, dummodo libeat liceatque, præter cultrum & forficem aliis instrumentis ad cavitates ac viscera inflandum & liquorem iis vel ceram injiciendum uti, quorum ab anatomicis hujus sæculi ingeniose adornata supellex utiliter crevit, ut quæ particulæ heterogeneæ quibus impactæ viscerum poris atque meatibus obice humoribus vel spiritibus posito morbum excitarint penitissime constet. Quia vero rarius contingit unicam duntaxat partem seu viscus ita affici, quin cæterorum unum aut alterum imo totum quandoque corpus simul conspiret, adeo ut ante dissectionem partis maxime læsæ sedes ambigua & incerta fit, hoc in casu juxta vulgaris methodi filum ab abdomine

mine inchoando hincque in thoracem & caput pergendo omnia prodrocentrunt consignabuntur. Neque corruptorum tantummodo viscerum mentio fieri potest, sed etiam integrorum, ut ita vivis quasi pigmentis bona cum malis repræsentata exhibeantur. Sunt porro quidam glisfcentes in sanguine & spiritibus morbi, & ipsi fatales, ubi dissectionis opera ludi post mortem aufugientibus spiritibus & sanguine propter frigus in partes secedente videtur: veruntamen etiam ex hac anatome commodi quid resultat; enimvero non continentes duntaxat partes solas, sed & contentas impetumque facientes laborare & morbis verè corripi sic certiores fimus. Sæpe autem cunctis sagaciter perlustratis labis nonnihil in viscerum quopiam tunc simul deprehendetur, quæ vel ipsa spirituum sanguinisve anomaliæ ortum prima dedit vel vicissim originem ab ista suam traxit: sanguine enim & spiritibus ægrotantibus solidæ partes diu manere non possunt incolumes.

CAPUT

CAPUT V.

De Scholiis.

QUemadmodum natura nihil facit frustra, ita nec artem inanem esse convenit, cui studet medicus ut auxiliarem illi manum porrigat. Ad finem itaque universa tendant oportet. Quare suus immortali Deo honor etiam in his deferatur, cujus sicuti prima hominum creatio eorundemque continuata per parentes in minutissimo ovo propagatio stupendam sapientiam atque potentiam, ita mortalium per morbos destructio vindicem justitiam arguit. Alter finis proximi salutem artisque saluberrimæ perfectionem respicit. Novimus equidem & ultro fatemur corruptionem omnibus ita adnatam hærere, ut nisi morte eximi aut separari nequeat; quod quidem miseris non potest non esse solatio, recuperandæ hoc pacto integritatis desiderio speque flagrantibus. Interea tamen demulcendis vitæ ærumnis mitigandæque tantisper dolorum ac mortis acerbitati concessa divinitus præsidia aspernari non ingrati modo sed impii foret. Remedia vero cum in usum vocari ignorata morbi sede & causis feliciter nequeant, duce opus est anatome, quæ si priscis æque ac nostro ævo cœpit exculta sæculis

culis fuisset atque ad medicinæ sacra nemo nisi in illa multum ante exercitatus admitteretur, dubio procul melior esset artis & medicorum sors ac existimatio. Ad historiæ anatomico-medicæ perfectionem igitur multum facit scholii in calce adjectio, quod de visis succinctum ferens judicium morbi ætiologiam exponat. Est enim historia velut stamen aut basis, cui veræ pathologiæ filum intexitur vel superstruitur. Quare imprimis morbi letalis generatio ita est exponenda ut coram spectari videatur. Huc facit primo status secundum naturam cum præternaturali collati trutinatio; deinde partis affectæ, quæ quidem ex historia anatomica sponte jam elucescit, plenior determinatio. Si vero plures eæ fuerint, uti quidem persæpe accidit, ostendendum est quæ primo & præcipue quæ secundario ac velut per traducem, ut vocant, laboraverit. Posthæc ipsum morbi genus aut species, præsertim ubi de eo prius exacte inter omnes non constitit, definiatur. Omnium autem diligentissime sunt explicandæ cum morbi ipsius tum reliquorum symptomatum omnium causæ & rationes: iis enim ceu grato condita aromate plurimum sapit narratio. Cavendum tamen ne ex singulari quodam ac fortuito experimento universale protinus dogma exstruatur, non consentiente experimentorum multitudine: illud enim errorum atque ambiguitatis ansa fit, conspirantibus vero pluribus experi-

experimentis, hisque certis ac fidis, veritas per inductionem certo colligitur; qua parta aliorum errores modeste refutari vel verisimiles hypotheses firmius stabiliri queunt. Atque sic demum historia, quæ prius nuda erat & cultus expers, nunc autem vestibus ac gemmulis quasi ornatus, in publicum prodire seseque amasiorum oculis, quin & censuræ, sistere haut erubescit: cui præterea, si volupe est, comites adjungi possunt gravium autorum observationes, quas cum nostris convenire aut easdem illustrare ac confirmare posse remur; sed ita, ut intra cancellos. Est enim longum verborum syrma & diffusa prolixitas sæpe fastidio, juxta illud Nazianzeni: Κόρος λόγου πολέμιος ἀκοαῖς ὥσπερ τροφὴ ὑπερβάλλουσα σώμασιν. Cavendum itaque ne quod Cephisophonti quondam fecerunt dicaci Lacones idem nobis eveniat.

CAPUT

CAPUT VI.

De ascite vitio cordis genito historia anatomico medica cum scholio.

NE methodus hæc nostra, quam in præcedentibus capitibus breviter descripsimus, exemplo careret, notabilem de hydrope ascite ex pericardii coalitu cum corde orto historiam subnectere nobis visum est, quam Basileæ literis pridem conceptam nunc autem melius exasciatam ita exhibeo. Nicolaus Schweiger adolescens sedecim annorum, Basileæ probis natus parentibus, sed pauperculis, atque ideo viliori victui & laboribus a teneris assuetus, timidus, ac eo temperamento quod veteres sanguineo pituitosum appellarent præditus, spiritum a puero difficiliorem trahebat, præsertim cursu exercitatus. Igitur anno ætatis decimo quinto ingravescente spirandi difficultate inguinum dolorem sentit tendentem pungentemque, qui exasperabatur incessu. Una & altera septimana post secutus est abdominis tumor, initio quidem parvus & neglectus, indies vero altius assurgens. Scrotum etiam ipsum jam intumescere, imo femora quoque & pedes. Horum tumor cuti concolor impressa digitorum nostrorum vestigia aliquamdiu servarat. In summo quinetiam femore prope scrotum serum ex ipsis cutis poris largiter stillari. Successu temporis brachium quoque sinistrum itidem intumescere visum est, iterumque sponte de-

tumescere absque manifesta evacuatione. Venæ abdominis cutaneæ ac epigastricæ plurimo sanguine distentæ perpetuo turgebant, jamque insignes & valde conspicuæ evadebant. Umbilicus antea reconditus nunc ad transversi pollicis altitudinem extrusus prominere ac pellucere. Denique ultimo mense aqua ex scroto factis sua sponte cuniculis effluere, sed nihil hinc imminuto ventris tumore, qui tantus quadrimestri spacio factus est, ut præ immani distensione æger nihil magis quam disruptionem ejus metueret. Toto morbi decursu pulsus debilis & parvus erat, tremulus aliquando, ultimisque duobus mensibus intermittens atque ad extremum plane myurus & formicans. Respiratio semper difficillima cum maxima pectoris anxietate & inani tussi negotii plurimum usque facessebat. Appetitus fere dejectus erat. Lotium nunc parcius reddebatur, nunc copiosius, flavescens, quandoque turbidum cum multo sedimento, aliquando lixivii instar pellucidum & coloratum. Mingebat autem plerumque cum dolore & molestia: nam genitale membrum simul tumebat ac stringente funiculo intorquebatur. Sensuum omnium & mentis functiones ad vitæ finem usque illibatæ manserunt. Moveri tamen corpus propter immensum sarcinæ pondus difficulter potuit, incessu jam inde a tribus mensibus plane abolito. Plurimaque medicamenta in cassum adhibebantur. Topicis autem imminens scroto & inguinibus gangræna summota fuit. Tandem vero tot tantisque miseriis fractus victusque adolescens die XIV Maji anno

anno Christi MDCLXXIV exspiravit, Noctu cadaver ab excellentissimo Henrico Glasero, anatomes tunc professore, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, dissecabatur me una cum aliis præsente & auxiliares manus præbente. Detracta primum abdominis cute serum hanc inter & musculos obversabatur, potissimum autem versus lumbos, ubi & frequentes aderant hydatides seu membranacei aqua scatentes folliculi. Serum etiam inter pubis cutem & musculorum abdominis tendines, nec non inter scrotum & propria testium involucra stagnabat, idque membranulis crebris alicubi interceptum inque substantiam gelatinæ similem sic quodammodo condensatum. Intra elytroidem erytroidemque tunicas nihil seri inventum. Musculi abdominis a peritonæo facile separabantur intercurrentibus aquis. Iam patefacto abdomine maxima seri vis tanquam è fonte prorupit, qua non mensuræ duntaxar aliquot, sed integra amphora impleta fuit. Urinam id colore referebat, quamvis degustatum neque tam acre neque salsum sentiretur. Exhaustis aquis infimi ventris viscera præter omnem exspectationem haut multum corrupta vel vitiata deprehendimus. Epiploon equidem labens, sed fere unice, contraxerat: nam & omni spoliatum pinguedine ac insuper putridum erat, versus dorsum præcipue atque ventriculum. Peritonæi quoque superficies interna asperiuscula, porosa tamen creberrimisque sanguineis vasis distincta & rubens apparuit. Hepar forinsecus atro rubicundum, intus ex pallido flavescebat, absque scirrhis tamen

aliove vitio. Lien & renes aliquantum flaccidi, cætera sani ac illæsi. Ventriculus & intestina cum pancreate omnium calculo integra ac illibata judicabantur, excepto mesenterio, cujus glandulæ alicubi putrefactæ levi digitorum attritu in amurcam conveniebantur. Thoraci inerat potissimum lerna malorum. Amoto enim sterno pulmo dextri lateris pertinaciter & pleuræ & diaphragmati & pericardio adhæsit, ut inde nec manibus avelli nec integre cultro separari posset. In sinistro latere liber à pleura is erat, sed pericardio tamen ac septo transverso affixus. Hunc inundavit aqua subcruenta in sinistro thoracis cavo ad uncias octo restagnans. Nullum in pulmonibus pus, sed crebri cruoris grumi, hærentes in ipsorum vasis. Pericardium valde crassum penitusque carnosum apparuit, extrinsecus diaphragmati, uti solet, sed & pulmonibus insueto nexu ubique adnatum; intrinsecus autem superficiei cordis præterea adeo arcte undique adaptatum adglutinatumve ut multo demum negotio inde avelli separarique potuerit. Spatium itaque nullum inter pericardium & cor relinquebatur, in quo hoc sese libere motitaret, nec humor ullus qui superficiem cordis humectaret. Cor ipsum pallidum & flaccidum multoque cruore distentum erat & polypo gemino, quorum major sinistrum, minor dextrum ventriculum occupavit. Substantia utrique compacta, alba, inque filamenta ductilis. Pedes sive processus eorum sese tam in aortam quam venam cavam & pulmonum vasa extendebant. Carunculæ denique & columnæ carneæ, qui-

quibus thalami cordis & auriculæ intus cancellatæ ac veluti fornicatæ aut clathratæ alias esse solent, hic fere penitus detritæ atque obliteratæ evanuerant ut nonnisi pauca earum vestigia superessent. A cerebri examine temporis angustia nos exclusit, in quo tamen parum aut nihil adfuisse labis constans sensuum & rationis integritas fidem facit.

SCHOLIUM.

Hominem veteres, universi compendium dixerunt: nec extra oleas, cum plurimum omnino analogiæ seu affinitatis intersit. Ut autem sidera quoque adesset, cor microcosmi Phœbum sive solem nuncuparunt; siquidem ex hoc veluti fonte manantes spiritum sanguinisque rivi totum corpus irradient, foveant, conservent. Quemadmodum vero sol in macrocosmo nonnunquam sive agglomeratis circa eum maculis turbatus sive nubium cortici involutus sive aliis denique modis offuscatus nostro è conspectu eripitur, ita cor hominis suos quandoque manes ac velut eclipses pati ex ea quam retulimus historia apparet. Enimvero adolescentis istius vitalia ac spiritalia organa omnium prima imo forte statim ab utero laborasse verisimile est, utpote in quibus præcipua maximaque labes fuit inventa. Quin difficilis etiam à puero spiritus de nativo quodam pulmonum impedimento coram testatur. Non equidem tamen adducor ut credam inde ab infantia eam extitisse cordis conformationem qualem post mortem

invenimus: fœtus enim ad quindecim annos usque protrahi vita haut potuisset. Est enim ad hoc necessaria cordis libertas. Unde & veterum plerique hominem affecto corde diu superstitem esse non posse bene tradiderunt: erraffe tamen istos in eo quod a morbis organicis cor propter substantiæ suæ robur prorsus immune crediderint vel hæc conficitur historia. Est quidem, fateor, cordi tanquam munitæ arci validove musculo quoddam roboris præsidium; verum fortissima quoque mœnia sæpe vinci ab hostibus quis nescit? Neque igitur vibrationum constantia, neque spirituum & sanguinis concentrata vis aut efficacia, neque compactarum denique fibrarum potestas, propulsandis a corde injuriis omnibus sufficit; sed suæ sunt cordi venæ ac arteriæ, per quas æque ac alias in partes pravi humores interdum adducuntur, & quanto cordis moles est compactior tanto humores illi pororum angustiis semel immissi hærent pertinacius. Idem & aliorum hujus sæculi medicorum observationes confirmant, quas inter notatu digna est Harvæi illa de carne fungosa cordis cono adnata, quam descripsit gen. anim. exercitat. L I I. Lowerus etiam historiam de pericardio cordi fortiter adhærente in tract. de corde cap. II. recenset. Et illustris Wepferus noster in literis die VI Octobris MDCLXXIV Basileam ad me datis se duos secuisse juvenes scribit, scilicet Iohannem Georgium Agricolam die VII Aprilis MDCL circiter viginti quatuor annos natum, & Andream Bley Palatinum die XXIX Aprilis MDCLXXIV

pr.e-

præterpropter viginti duorum annorum, quorum utrique pericardium arctissime cordi accreverit, multo sero in pectore & cavo abdominis stagnante. In centuriis historiarum anatomicarum Thomas Bartholinus affectorum cordium itidem aliquot exempla passim annotavit, quæ sigillatim recensere nimis longum foret. Non possum tamen silendo involvere insignem illam ab Olao Borrichio act. medic. Hafniensium Bartholinianorum vol. I obser. LXXXIX traditam de Valentino Boccatio, centurione, triplici hydrope confecto, *cujus pericardium ita amplicatum distentumque fuit ut tres libras & quod superat acris turbidique humoris sinu suo complecteretur. Ipsum autem cor non modo membrana propria spoliatum, quam acrimonia humoris absumserat, sed & ita profunde exesum ut exterior ipsius substantia in lacinias & villos carneos putrescentes abierit, reliqua interiore contracta, flaccida & marcescente.* Quam quidem historiam ideo etiam adducere placuit quoniam illi haud absimilem anno MDCLXXIII Basileæ notasse memini in adolescente phthisico & hydropico, cui nomen erat Nicolaus Stohler, ab Henrico Glasero b. m. dissecto: pericardium illi triplo, imo quadruplo crassius erat quam pro naturæ norma, & aqua farctum loturæ carnium simili, cor autem permagnum & inæquali superficie horridum, nam carnei velut lemnisci plurimi illud externe cingebant, in aqua pericardii natitantes & branchias piscium quodammodo mentientes. Quippe & rubicundi erant & à basi latiuscula in acutos apices

 fasti-

fastigiati serie multiplici. Propriam cordis tunicam alicubi quidem corrosam soluta fibrarum compage vidimus, sed alibi carunculæ istæ integræ superficiei adnatæ hærebant, aliquando semunciam altæ. Totumque adeo cor fungi speciem exprimere mihi visum est quam caverulosam appellant, mensis multorum, etiam principum, expetitam. Ex quibus jam satis ut opinor manifesto liquet haut usque adeo raras & infrequentes cordis affectiones esse, sed & eadem opera hinc elucescit in hydrope sæpenumero cor salvo hepate ac liene primario atque unice laborare, omnibus diluvii undis ex hoc fonte manantibus. Et sane in adolescente nostro haut video cuinam visceri ascitis ortus adscribi possit aut debeat, præterquam cordi: nam in hoc maxima fuit inventa labes. Imo virginem aliquando Basileæ dissecuimus robustam prius & bene valentem sed oborto repente ascite inopinato mortuam, in cujus corde tantum inaminatis reliquis visceribus omnibus vitium latuerat. Ergo nunc etiam statuimus asciti cordis destructionem & huic pulmonum corruptelam præivisse. Et pulmonibus quidem ab ortu pravam diathesin & præpostéros adhæsisse nexus certum est, quibus crescente ætate auctis respiratio usque difficilior reddebatur: quippe stringentia pulmonem dextri lateris vincula efflorescentem cum ætate sanguinem angustatis viis plurimum cohibuerunt. Unde is circum præcordia retentus nec pleno gurgite inde se proripere aut expelli valens difficilem spiritum ac timidum præter morem adolescentem fecit; nam audacia à dif-

fuso cum impetu sanguine in cerebrum & extimas corporis oras pendet. Huc jam impurus crassiorque victus, qualis eorum esse solet quibus res angusta domi, accedit; ex eo namque suggestus chylus sanguinem ponderosum torpidumque reddendo iter ejus ac motum testudine tardiorem efficit. Quare oppressos tardigradi sanguinis mole pulmones verisimile est parvas in extremitate rimas hinc inde egisse, è quibus transsudans viscidum serum aut etiam lympha injectis veluti laqueis viscosis vicinam pleuram contiguumque pericardium cum diaphragmate irretivit atque ceu glutine sensim adunavit. Quod eo quidem adhuc facilius accidere potuit quo farctus sanguine pulmo pressius usque diaphragmati & pleuræ & pericardio accumbens unionem citius maturavit. Id vero quo minus sinistro in latere pertinde atque in dextro evenerit ratio forsan est majus illic pulmonis robur: nihil enim verius quam uni laterum imprimi nævos posse altero incolumi. Quibus minus bene consideratis pulmonum cum pleura unionem plurimis naturalem esse nec mali quidquam portendere perperam in anatome sua asseruit Diemerbroekius: sunt enim nativa aliquando illa vincula non tamen vitii aut nævi naturam exuunt, quippe ex hoc velut seminio aut malo ovo sæpissimæ phthisis, ni quis fatalis morbus alius intercurrat, excluditur. De pericardio nostra fert sententia liquorem ejus inde prodire unde ab antiquo denominationem suam habuit, videlicet ex ipso pericardio: nam alias indagate vias

 etiam

etiam post inquisitionem diligentissimam huc asseque non potuimus, ex densitis autem vaporibus illum conflari semper nobis suspectum fuit, quia sæpe numero turbidum, crassum, tamque copiosum eum invenimus ut fieri nequeat à vaporibus talem suppeditari; qua in re consentientem Lowerum, exactum cordis scrutatorem, habemus. Exploratum quinetiam est optimum pericardii humorem ignis ope inspissatum coire ac densari, quod compositis è vapore minime contingit. Possem hic de liquoris in pericardio natura & ortu eruditas aliquot epistolas inserere, quibus Johannes Jacobus Harderus Philosophus & Medicus Basiliensis amice me exercuit, sed quia brevitati nunc studendum alium illis locum servo quod merentur pretio alibi tribuamus. Id vero crebra experientia nobis etiam innotuit pericardii superficiem internam ad instar foliorum hyperici vulgaris innumeris foraminibus seu poris perviam esse, sed tunc demum conspicuis quando supposito forinsecus digito pressa minutis aquæ guttulis sudant. Quæ cum ita sint facile jam colligimus in adolescente nostro crassum sanguinis serum angustos hos poros ad restaurandum pericardii humorem amplius transire nequivisse: quare latens illud & inhærens angustiis ac præterea stagnando corruptum pustulas primum excitasse mihi videtur, analogas illis quæ aliàs in cute sæpius ex acri sanguine efflorescunt; quibus denum in ulcuscula conversis manante illinc sanie seu ichore pericardium cum corde coaluit, cum prope in modum quo

exul-

exulceratas palpebras nonnunquam oculi bulbo accrescere accidit. Et illud quidem tanto etiam facilius fieri potuit quanto propius ac pressius turgidi pulmones capsulam cordi perpetuo aptarunt. Postea vero arrosa jam per saniei vim ipsa cordis superficie mixtus nutrimento sanguis profusus est, quo in fibras abeunte pericardii moles insigniter aucta crevit, ut in unam massam cum corde tandem converteretur. Quibus amplius illustrandis ac confirmandis confert appositum, bruti quamvis, exemplum cujus copia in vicino Regis Christianissimi vivario nuperrime & clarissimo Josepho Du Verney, anatomico solertissimo, & mihi facta est: nimirum immolatæ feris in corde vaccæ sartoriam acum unciam unam cum semisse longam invenimus, dextro ventriculo transversim infixam, penetrante versus interiora cuspide; erat autem acus nigra prorsus multaque ferrugine incrustata, ut certum sit illam diu vivente adhuc vacca istic hæsisse. Pericardium vero, undique cum corde intimo nexu cohærens, quod à sanguine & succo nutritio è compuncti cordis & pericardii vulnere stillante factum fuisse evidentissimum arbitramur. Nolo jam in pericardii necessitatem atque humoris ejus naturam ac usum longo sermone digredi, quoniam alias præfixos cancellos ob rei ubertatem me transiliturum video: id saltem tetigisse sufficiat, quod alii quidem ante me etiam notarunt, erinaceo terrestri pericardium non esse, cujus tamen subsidium tam necessarium putavit Lowerus, ut illud in omnibus vel minimis animal-

malculis nunquam deesse crederet. Sed & in hominibus cor sine capsula Columbus atque Brodbeckius, uti ex Thomæ Bartholini cent. IV hist. XX apparet, observarunt; quanquam opinari fas sit pericardium aut pulmonibus aut ipsi cordi potius ita tunc adnatum præter naturam fuisse ut distinctum videri non potuerit: nam & in nostri adolescentis cadavere cor primo intuitu expers involucri putabatur, quod postmodum diligentior inquisitio adnatum detexit. In anguillis autem pericardium apici cordis intercedentibus fibris semper laxe devinciri aliquoties observavimus, atque in ejus anatome, rudi quamvis & ferme duntaxat superficiaria, quam una cum aliis meis observationibus ac epistolis fuæ insertam clavi medicinæ publice exstare legique Johannes de Muralto voluit, descripsimus. Rajæ marino pisci negat pericardium esse Nicolaus Stenonis de ejus anatome in epistola ad Pisonem, sed in qua solum cor hospitatur succincta pectoris cavitas liquore madens alterius involucri defectum usque adeo supplere mihi videtur, ut alterius pericardii formatione luxuriei potius quam necessitati consuluisset natura. Cæterum quod de anguilla modo asserimus in raja etiam notare est cordis conum & latera non ab omni prorsus nexu libera existere. Utut vero hæc in brutis suas ob rationes se diversimode habeant, homini tamen ad bene valendum necessaria est cordis capsula, eaque vinculis omnibus præterquam cum diaphragmate & superne cum vasis soluta, nec usquam cordi continua:

secus

secus devincto & mancipato corde mala omnia ipsamque mortem nasci funestus hic docet eventus. Quia enim cor pericardio, istud pulmonibus, hi diaphragmati & in dextro latere pleuræ vehementer adhæserunt oppido hinc palam fit quantopere cum in motu suo cor tum in respiratione pulmones detrimentum ceperint, adeo ut jam unum alteri impedimento existens in diversa tanquam ex à duobus canibus distraheretur. Quâ quidem inani contentione non potuit non malum augeri. Etenim vellicatis hac ratione modo pulmonibus modo pericardio & corde serum & sanguis inde sanquam ex tefricato vulnere semper denuo emanans inque fibras concretum copulam usque majorem pertinaciorem que reddidit. Præterea ex hac jugi cordis se extricare satagentis lucta fractis fibrarum viribus flacciditatem & marcorem cum auriculis ejus contraxere ventriculi, adeo ut eminentes intrinsecus columnæ & monticuli carnei superstitibus duntaxat paucis vestigiis fermè penitus evanescerent: cujusmodi oblitterationem ante hac enam observavi in quodam phthisico ad hydropem vergente, cui cor adeo fuit extenuatum ut sinister ejus thalamus vix mediocre corium dexter vero simplicem tunicam parietum crassitie æquaret. Ita tumirum solers domicilii sui conservatrix natura rem quampiam molestam sentiens vel in actionibus suis interturbata ad impedimentum è medio tollendum fibras omnes & nervos quo potest usque constanter intendit. Rebus itaque adolescentis nostri sic stantibus

pul-

pulsus in corde alius cieri, quam initio debilis & parvus, postea tremulus ac inæqualis, denique mutus, nequivit: parva enim duntaxat fiebat diastole negato dilatandi spacio, in systole autem renitente pulmone ac diaphragmate tremor ex ancipiti lucta. Hic autem qui cordis dilatationem à rarefacto sanguine, non fibrarum relaxatione, proficisci existimant pervelim mihi tantisper explicent quomodo in hoc adolescente fieri potuerit diastole, cum & sanguis ejus torpidus ac segnis & cor tot tantisque vinculis obrutum constrictumque fuerit? Nullum sane ni victas dent manus erit effugium. Pulsum etiam debilitandi magna fuit polyporum in corde potestas, è concreti sanguinis fibris aliquamdiu ante mortem genitorum. Hos unquam in viventibus dari negat contra Nicolaum Tulpium ac Th. Bartholinum Theod. Kerckringius spicileg. anatom. obs. LXXIII, existimatque illos demum post mortem ex concreto sanguine fortuito nasci, fretus experimento injecti in venam canis viventis spiritus vitrioli. Verum enimvero quamvis certum sit sanguinem ablata anima & spiritibus in corde & vasis sæpe concretum grumescere inque canibus affuso spiritu vitrioli coire, nondum tamen hinc evincitur in viventibus id nunquam accidere: nam magnum est inter grumos & polypum discrimen; illi enim fibris paucis ac laxe confusisque unitis instructi rubent, hic instar fere adipis candicat & densa atque ordinata fibrarum serie ac robore pollet. Neque polypi reperiuntur in omni-

omnibus defunctorum cordibus, etiamsi sanguis & grumi adsint. Porro illi ipsi polypi in canibus viventibus excitati repentinæ mortis causa potius quam effectus esse mihi videntur, qua etiam ratione humanus sanguis quovis modo in acorem degenerans cordis oppressionem inferre potest mortalibus. Et sane ex ingenti terrore subita mentis consternatio ideo quosdam è medio tollit quia sanguine in polypos abeunte cor ita mox intricatur infarciturve ut expedire se non valens à motu repente cesset. Nec varices ex multorum sententia aliud sunt quam venarum polypi. De his autem plura disserendi amplior forsan campus alibi dabitur. In nostro adolescente polypi eo generari facilius potuerunt quo impedita cordis systole restitante in thalamis perpetuo sanguine magis magisque elanguit. Alter comes difficili respirationi individuus suit precordiorum anxietas & tussis, tam ex cordis angustia quam ligati diaphragmatis impedimento nata; nam & alibi magna dyspnœa confecti adolescentis pulmones undique pleuræ, diaphragmati, sterno, & pericardio affixos observavimus atque descripsimus. Simili quoque anxietate premebatur juvenis ille Joh. Georgius Agricola, cujus supra mentionem fecimus, quique teste excellentissimo Wepfero nunquam nisi pronus in genua provolutus & cubitis suffultus dormire imo respirare valuit. Est enim ad vitam prorsus necessaria uti cordis ita pulmonum quoque libertas. Ultimus denique & fatalis morbus alter extitit, læsæ respirationis & motus in corde

ac

ac sanguine languentis foetus: neque enim certius ex ovo pullus quam è principiis istis hydrops excluditur. Quoniam igitur sanguinis massa usque tantum in pulmonibus, præcordiis, & majoribus vasis agglomerata hærens in ambitum corporis & emunctoria sua tardius emicuit, sero per cutaneas glandulas insensibiliter eliminando retento vel restagnante, hydropis stamen sive diathesis jacta est, quam pituitosus natura sanguis facile admissam constanter retinuit. Quin chylus etiam, cum in corde & pulmonibus subigi ac ad debitam usque perfectionem evehi nequiret, in pituitam abiit, non verum sanguinem: quocum laxe tantum unita illa ex hujus sinu iterum elabi facile potuit. Ergo aqua sic in majorem indies molem aggesta, nec vasis sanguineis amplius coërceri se patiens, quia per habitum corporis iter non patuit, in cavum abdominis secessit; ubi datis jam viis brevi temporis spacio in immensum congesta est, excitato primùm inguinum dolore, ob peritonæi & musculorum abdominis illic adhærentium distensionem, mox totius imi ventris tumore. De viis per quas serum in abdomen confluxit ambigui hæremus, utrum lymphæ vasa analia fuerint? Expeditissimum quidem à ruptis lymphæ vasis colluviem derivare: veruntamen fontem hunc rarius aperiri multa nobis persuadent, de quibus volente Deo alibi. Id solummodo nunc advertimus aquam istam in abdomine & sapore & colore à lympha plurimum discrepasse, nec ruptorum vasorum vestigia usquam apparuisse. Cæterum experimen-

rimento alibi didicimus aquam ex hydropici viri abdomine acu eductam, quantumvis spicei coloris esset, evaporante super prunas insciitella parte ejus tenuiore reliquam in glutinosam quandam substantiam concrevisse; id quod à Th. Bartholino in disquisitione medica de sanguine vetito pag. LXI similiter observatum descriptumque repetimus. Verum hoc nondum sufficiens esse arbitror pro lympha extra vasa sua errante argumentum; nam evaporatione exhalantis multo major est quam in gelatinæ speciem concrescentis humoris copia, & color etiam à lympha alienus, quanquam negari non possit hanc animalibus nonnullis circa hepar flavescere. Interea ne nihil dicamus aquam si non omnem certe magnam ejus partem à peritonæo destillasse judicamus: siquidem hoc porosum plurimisque sanguineis vasis distinctum fuerit, quæ natura dilatasse ac multiplicasse videtur ut hac redundans serum commode exantlaret. Ita sæpenumero etiam cor magna aquarum vi obrutum inundatumque vidimus ex ipso pericardio profectarum. Et qui inter utramque cerebri meningem humor aliquando reperitur nostro judicio ex dura matre est. Cæterum quia omentum adolescenti nostro perinde atque aliis hydropicis plerisque omnibus, quos hucusque dissecare nobis contigit (contingerunt autem plusculi) extenuatum putridumque fuit, non videtur utique de nihilo esse quod Hippocrates de aquis hydropicorum illinc scaturientibus pridem disseruit. Plura tamen experimenta prius facienda

nobis restant quam de his certi quid publice definiamus. Quantum autem respirationi antea jam valde laboriosæ obstaculi dederit nova hæc sarcina facile unusquisque intelliget, quem modo diaphragmatis structura & motus non fugit; qua de re potissimum legi meretur Casparus Bartholinus Thomæ filius, qui diaphragmatis structuram novam singulari libro haut ita pridem eleganter exposuit. Adhæc transversi abdominis musculi, qui & ipsi respirationi facilitandæ inserviunt, apud adolescentem nostrum vehementer distenti ab officio suo cessarunt: quare diaphragmatis & costarum motu in totum fere sic abolito spiritus sive aër crebertimo nisu parcus per solam asperam arteriam agebatur, constringentem sese ac vicissim dilatantem ope fibrarum motricium, quas Casp. Bartholinus de diaphr. struct. cap. II addita icone repræsentavit, itemque Thomas Willis in pharm. rationalis parte posthuma. Imo aquæ pondus thoracis viscera fortiter comprimens horum coalitum oppido multum firmavit & auxit, ut tot districto commistoque malis adolescenti necessario pereundum fuerit. Aquam quæ in sinistra thoracis cavitate restagnavit possemus equidem è laceratis superficiariis pulmonum diaphragmatisque lymphæ vasis derivare, quam admixta una alterave sanguinis gutta cruentam reddidit: verum quia etiam è pleuræ poris eam manare potuisse haut inaniter suspicamur, donec certius quid innotescat, hæc in medio nunc relinquimus. Scroti, femorum, & extremorum pe-

dum

dum tumor à fero, eoque partim sub cute collecto partim in musculorum interstitiis hærent ac alicubi in hydatides congesto, originem traxit: quia enim sanguis ex arteriis in venas reducendus diuturniorem in partibus moram nectens lentissime promovebatur ipseque nimio sero imbutus atque ad nutriendum inidoneus erat, exundans sarcinæ portio in declivia hæc loca decubuit, in quibus testians atque membranulis intercepta plenas liquore vesiculas & alicubi gelatinæ haut dissimiles effecit; cujusmodi plurimas quoque intestina & mesenterium universum occupantes dissecto adolescente, quem phthisis tandemque hydrops confecerat, se vidisse Joh. Jacobus Harderus Basilea præterito anno ad me perscripsit: qua de re integram historiam ex Theophili Boneti anatomia practica, cui volupe est ac libet, haurire licet. Harum vesicularum generationem artificialis hydrops in bruto ad oculum commonstrat: nam ligatis vivo cani jugularibus venis, ut sanguis pleno gurgite deorsum ferri nequiret, & sic aliquamdiu dimisso cane multum aquæ passim sub cute capitis in membrana adiposa atque musculorum intercapedinibus congeritur, uti post Richardum Lowerum ac Willisium etiam nos observavimus. Est & aliud hujus rei experimentum, quod nôrunt omnes qui circa viscerum dealbationes curiosi, præprimis ventriculi ac intestinorum, nec non liquorum aut ceræ in vasa sanguinea injectiones crebro versantur: nam vel maxime invitis sæpe accidit ut adactum siphone in arterias

 fluidum

fluidum, quia eadem celeritate venas capillares subire nequit qua infunditur, vel harum trunci ligati sunt, intra membranarum anfractus duplicationesque profunditur, ubi restagnans substantiam gelatinæ persimilem mentitur. Quinimo virgini illi, cujus in præcedentibus jam meminimus, alia subitanei hydropis &mortis causa non erat quam ejusmodi vinculum arteriæ venosæ injectum: quippe mitrales valvulæ degenerantes occalluerant in osseam plane substantiam, ostium ita præcludentem ut sanguis in sinistrum ventriculum penetrare nequiret. In scrotum aqua non per peritonæi processus, ut vocant, defluxit; sed per ipsa sanguinea vasa. Patuit hoc imprimis inde quia exonerante se per cuniculos scroto abdomen nihil imminutum est. Umbilicus autem extumuit, vi aquarum protrusus. Doleo nos tunc festinante cultro haut animadvertisse utrum aqua quæ umbilicum distenderat eo permptum dilatatumve peritonæum immediate emerserit, an vero per urachum, quem constat in fœtubus urinam vehere & hydropicis nonnunquam denuo aperiri. Sæpe enim loquentem audivisse memini celeberrimum Wepferum de viro, quem se nosse & etiamnum vivere dicebat, pro lubitu ex umbilico ad distans atque cum saltu mingente. Abdominis venæ turgebant propter stagnantem in illis segniterque promotum sanguinem. Appetitus adesse nullus potuit, quia nulla diaphoresis nec ingestorum dissipatio. Adhæc sanguis aqua multa adeo dilutus erat ac obtusus ut fermentum excitando appeti-
tui &

tui & digerendis cibis idoneum producere non posset, ac hydropi fomitem potius quam corpori alimoniam præberet: unde & superiores artus atrophia correpti emarcuerunt. Quod autem sinistrum brachium aliquando intumuerit fiebat à seroso sanguine, non statim per venas subclavias propter angustatum iter refluente. Postea vero laxata nonnihil via motoque sanguine iterum detumit. Urinæ mutationes à varia sanguinis constitutione pendent: etenim fiente ascite turbida minxit cum multo sedimento, quippe tunc omnia turbata atque confusa erant in sanguine & salinæ sulphureæque particulæ nimio sero diluebantur atque abripiebantur per renes. At vero depositis aquis & ascite jam consummato sanguis acrior factus ac incensus urinam paucam, acrem, & lixivii instar tinctam reddidit. Mirum autem est in adolescente nostro organis vitalibus adeo destructis & sanguine depravato spiritus animales bonos atque ad sensuum externorum internorumque munia aptos nihilominus vel ad ultimum usque vitæ halitum generari potuisse: siquidem inter cor & cerebrum tantam officii necessitudinem ponat Louwerus ut neutrum sine altero superesse posse existimet. Hæc autem absit ideo à me dici credantur quasi istam commercii legem in dubium revocem, quippe experimentis firmiter nixam, sed tantummodo ut ostendam admiratione non omnino carere quod summus ille motus in corde languor nulla animo deliquia pepererit. Pallor hepatis cæterorumque viscerum à tinctutæ purpu-

reæ defectu est: siquidem ipse sanguis nimio sero perfusus atque dilutus nec ob interceptum in pulmonibus aëris symbolum rite efflorescens expalluerit. Cui accedit quod superveniente hydrope sanguis adhuc dilutior redditus atque purpura omnis è viscerum recessibus eluta fuerit, perinde ac evenit si aquam siphone (sive illum sumas quem Regnerus de Graaf tr. de vir. org. pridem descripsit, sive quem nuper in diaphragm. struct. nova Casparus Bartholinus, nil refert: est tamen posterior ad hoc opus priore commodior) per arterias & venas aliquoties injiciamus: nam vel rubicundissimum jecur aut lien nigerrimus, maxime scilicet melancholici, inde albescit. Glandulas mesenterii atque omentum illuvies serosa, postquam per integrum semestre in aqualiculo subsisteret, corruptione invasit. Enimvero inficias neutiquam imus sæpenumero ab harum glandularum præternaturali tumore hydropem primario exoriri, cujus rei evidentissima exempla in aliis nostris observationibus & historiis anatomico medicis de hydrope, siquidem Deo ita visum fuerit, publice aliquando proponemus. Ex dissectione autem patet in adolescente nostro illas ita corruptas fuisse ut levi digitorum attritu diffluentes in amurcam facesserent, quod substantiæ glandularum istarum flacciditatem duntaxat arguit, inductam à circumfusa colluvie. Per illas tamen chylum nihilominus usque & usque transivisse fidem medicamenta faciunt, suas in sanguine vires licet incassum exserentia: neque enim Swammerdamio &

ve-

venas lacteas & nutritii chyli ex intestinis per eas ad commune receptaculum iter in dubium vocanti hactenus adstipulari potuimus. Largimur equidem in volucribus plerisque & fortassis etiam in piscibus chylum per venas mesaraicas, quod in exercitatione I de glandulis intestinorum parte posteriore cap. VII demonstravimus, ad hepar deferri, idque suas ob rationes: quia tamen idem in homine & quadrupedibus brutis iisdem experimentis stabiliri nequit, tamdiu cum Th. Bartholino ejusque filio hanc opinionem relinquemus donec manifestioribus speciminibus extra dubium ponatur.

CAPUT VII.

De dispositione historiarum.

Quod ad alteram methodi nostræ partem, videlicet historiarum dispositionem attinet, multiplex hæc quidem sed ferme arbitraria existit: nam quia universalem omnium morborum historiam contexere non unius hominis nec ætatis unius est, suas quisque observationes vel prout alveati se ingesserunt vel alium in ordinem congrue digestas postea pro lubitu reddere poterit: quibus enim multa occupatione distractis vix historiam conscribendi nedum disponendi facultas aut otium relinquitur, hi ne publico & posteritati opera sua defint, historias ea qua fortuito & suapte temporis decursu coaluerunt serie proment, quod præsertim

nunquam peritura nominis sui gloria exstructis historiarum aliquot centuriis Thomas Bartholinus præstitit. Aliis verò otio magis abundantibus non suas tantummodo sed & aliorum quoque observationes conscripsisse ac in classes distinxisse laudi erit, botanicorum solertiam collectas herbas in sua genera & species eleganter utiliterque distribuentium imitantibus: qua in re primas Theophilo Boneto utilissimum historiarum anatomico medicarum de omnibus pene morbis à capite usque ad calcem thesaurum ea propemodum norma edenti qua Sennertus, Riverius, & alii praxin composuere, medicina debet. Est demum & alia plurimum emolumenti adferens ordinandi ratio quando concinnatis de uno eodemque, sed gravi quodam & frequenti, morbo multis historiis in scholii vicem integra exercitatio universalisque de malo illo disquisitio instituitur, quale specimen illustre de apoplexia publico dudum exhibuit Wepferus noster venturis temporibus dante vitam Deo plura additurus. Iisdem etiam vestigiis sed diverso modo insistentem sagacissimum Thomam Willis præclara monumenta æternum celebrabunt. O utinam plures Bartholini, Wepferi, Willisii, Boneti, exsurgant talibus rem medicam cimeliis qui locupletent.

Methodi historiarum anatomico medicarum Finis.

JOH.

JOH. CONR. PEYERI
EPISTOLA
DE
Amitinæ ſuæ ab infantia prima oculis captæ ſtudiis & commercio literario,

ad Medicum Excellentiſſimum,

CAROLUM SPONIUM
cum hujus reſponſione.

PARERGON QUARTUM

M. T. Cicero de nat. Deor. lib. II.

Animo multis modis variisque delectari licet, etiamsi non adhibeatur aspectus.

De Virginis ab infantia prima oculis captæ studiis & commercio literario

EPISTOLA
AD
Virum excellentissimum
CAROLUM SPONIUM

SAlutem nomine tuo plurimam mihi officiose nunciavit Theophilus Bonetus, ego interminam reddo & tibi & nunciorum optimo, utrique immortalitatem adepto ac ob præclaras virtutes eruditionemque felicitate dignissimo. A te sane medicorum principe constanter me sic adamari nec oblivioni tradi id unum summis habeo in deliciis & votis. Quod vero amorem esse coecum vulgo ferunt, ipse cum fructu verum experior: nam canis tuis infantiam, ruditatem doctrinæ, atque splendori obscuritatem meam non displicere amoris cœcitas efficit. Quæ cum tanta possit noli admodum mirari si de ea nunc ad te pluribus. Illud admirare magis cum, cum inde à canis virginem nobiscum paria literarum commercio facere. Viderisne tu simile quid unquam

quam vel audiveris equidem ignoro. Tanti pol res mihi visa, quæ ad te æstimanda deferretur, rerum naturæ & artis peritissimum. Genevæ seculi post Deum in carne patefactum sexti & decimi anno sexagesimo, die octava Novembris, parentibus edita tam propria virtute quam avito stemmate conspicuis consobrina mihi dilectissima Estera Elisabetha à Waldkirch oculis laborare ut primum vitali aura frui cœpit, superstitum bonæ indolis ac spei fratrum trium sororisque unius natu maxima. A partu recenti tumebant illi conniventes utrinque palpebræ, cumque triduo post Ecclesiæ Christianæ sacris imbuenda publice in templum deferretur, flante impetuosius Borea, usque eo exasperabantur ut intercepta quam mediocriter admiserant luce penitus coalescerent. Clausas per mensem magna cura matris sollicitudine accitus Genevensium Machaon Bonetus natu major tandem reseravit collyriorum adspersione & fotu. Nihil tunc præterea labis oculi contraxisse visi. Brevi autem immutato rerum statu cum remissionem morbus simularet, pustulis & maculis in cornea succrescentibus obnubilata turbari lumina & chara filiæ pupilla jam matris conspectum fugere, dextra primum, deinde sinistra. Quibus ita periclitantibus auxiliorum generi parentes optimi & implorata ab his medicina nulli pepercit, ut tempori succurreretur. At summoveri tamen impendens oculis discrimen haut potuit, nec arte caveri ne grassaretur ulterius; quin potius deleta corneæ pelluciditate

tri-

tristem utrique luminum offunderet albuginem. Sensuum itaque præstantissimum ex ophthalmia in cunis non sine parentum mœrore perdidit vixdum bimestris infans, indeque jam adulta novendecim annorum virgo cœcitate etiamnum laborat immedicabili. Conspiciuntur sane hodieque in ejus palpebris inflammationis ac exulcerationis pristinæ vestigia seu stigmata: dextrarum enim cilium inferius contortum est ac fere pilorum expers. Pupillis autem ex adverso positæ albugines candicant albi oculorum instar, discurrentiaque vasorum capillamenta rubra illas huic reddunt tam similes quàm ovum est ovo. Neque corneæ tunicæ ab adnata distinctio ulla nisi superius remanet, ubi servata portiuncula transparens splendoris momentum exiguum oculis immittit, magno cœcutientis solamine, diem à nocte atque tenebras à luce hacratione utcunque discernere gnaræ. Quandoquidem vero diligentibus Deum omnia cedunt in bonum Apostoli effato, visus caliginem mentis perspicacia virgini huic nobili compensavit Deus optimus & maximus. Sit enim oculis capta licet tamen ingenio & memoria plus una videt ac valet oculatis centum. Psalterium sane totum quinquennis non recitare modo sed etiam cantare scivit. E sacris vero literis docente matre pientissima inde ab unguiculis tantum præterea hausit quantum in admirationem auscultantes rapere possit. Fœderis quippe novi omnia & veteris præcipuam partem memoria tenet, de quibuslibet ad salutem pertinentibus scitissimè responsura. Quam filiæ charissimæ dili-

diligentiam plurimum quoque adjuvit nobilissimus pater, universæ scripturæ sacræ compendio ex Anglica pro liberis suis in Gallicam linguam translato, qui liber omnibus utilis publica luce fruitur. Memoriæ robur atque promtitudinem illam spiritibus animalibus & cerebri fibris tribuendam sentio objectorum visibilium in cursu non interturbatis nec fractis. Linguarum porro etiam & literarum bonarum studio operam dedit Musa hæc nostra, mente, non oculis, Calliope. Unde Germanice, Gallice, & Latine, tam bene expediteque loquitur ac si omnes tres linguæ ipsi forent vernaculæ. Patrem fermè Romano, Gallico matrem cum domesticis, exteros denique Germanos suo compellat idiomate. Quinimo & Italicam callet plus quam mediocriter. Ad linguarum cognitionem paulo post logicæ præcepta & cum philosophia naturali metaphysicam, ethicam, musicamque adjecit, sapientiam unicum esse vitæ condimentum rata. Qua in re manuductoribus primo usa est parentibus, deinde conductis etjam ad hoc Magistris Frejo, Wasero, Bernoullio, Grynæo & aliis: sub quibus pauco tempore adeo profecit ut ipsamet fratres suos dulcissimos postea doceret. Fidibus insuper & tibia canere organaque concinniter pulsare addidicit, magno suo & audientium oblectamento. Quin crescente cum annis eruditione cognitiones suas præsentibus communicasse non contenta, animum ad scribendum ultimo convertit, ut si ullo fieri modo posset cum absentibus per literas confabularetur. Principio diffi-

difficile creditum, ne dicam impossibile, tandem ex voto negotium hac ratione successit. Parabatur inventoris patris dictamine trabecula lignea, cui altius insculptarum literarum tractus digitis & stylo tantisper explorabat scripturiens virgo, dum iisdem sponte formandis assuesceret. Postea aliud instrumentum è ligno fabricatum, quo & charta detineretur immota, cui inscribendum erat, & linearum rectitudo indicaretur, dimensurandarum adaptatis eum in finem vertibulis. Plumbagine autem pingit, non atramento, ne qua scripturam commaculet. En jam honorande fautor, copiam tibi facio epistolæ ab ipsa Scaphusiam nuper ad patrem meum datæ:

Nobilissime, Amplissime, Colendissime Domine Avuncule. Plures sunt qui te norunt, verum pauci te vident: ego vero quamvis non videam, te video. Solamina tua & admonitiones, quibus mei gratia literas ad patrem adornare voluisti, ita me ceperunt ut iterum atque iterum animo eas volvere sit mihi summus fructus dulcius; & si nullo alio, certe grata mente, pensabo. Perge quaeso tua in me propensionis edere pignora, precibusque tuis ad salutem meam perennentia annectere dignare, sicut & ipsa assidue Deum precabor, ut diutissime te nobis servet incolumem. Vale & fave

Nobilissimi nominis tui observantissima

Esteræ Elisabethæ à Waldkirch.

Cum

Cum verò nec ingratum tibi responsum fore putem illud etiam subjungo.

Ad Nobilissimæ Virginis Esteræ Elisabethæ à Waldkirch, ex sorore neptis oculissimæ, oculis statu sideratæ, Epistolam αὐτόγραφον.

Capta oculis tu, mira fides! scribisque videsque;
Scripta nec ulla vides: dissita plura vides.
Nam tua sic perhibet mihi, neptis, epistola nuper,
„ *Quamvis non videam, te video, Euge tibi!*
Mactà animi radiata oculis, spe freta fideque:
His etenim solis quis videt, illa videt.
Nimirum hi penetrant cæli penetralia soli.
Lynceus his cassus si videt, anne videt?
His pia mens solis cœlum que Deumque tuetur.
Lyncea & hisce, infis, luminæ ac orba, Deo:
„ *Te sine nil video, sapio nil; tu meus es sol*
„ *Solus, tu meus es sal, mea sola salus.*

Scaphusiæ d. XVI Aug. 1679.
cum omine fundebat.
Ioh. Cunratus Peyer Sen. æt. 62.

Carminis hujus prælectio amicinam meam tantopere affecit ut ob matris infirmitatem antea valde tristis mox ad patrem suum conversa; *quam diversimode*, exclamaret, *animus meus agitatur! Heri salsas, jam dulces effundo lacrymas.* Quo parens meus intellecto ultimum poëmatis sui distichon ex Audoeno repetiit, idemque Gallice simul & Germanica

nice præcinendum cum notis muſicis ovanti tranſmiſit. Sed ne nimium excreſcat facienda finis epiſtolæ, Tu cœcarum more palpantis ſcripturam ex incluſis perſpicies, quam ut boni conſulas nobiliſſimi virginis parentes obnixe mecum te rogant. Vale, medicorum princeps & favore tuo atque reſponſionibus porro me dignare. Dabam Genevæ d. XXII Novembris anno Chriſti CIↃIↃCLXXIX.



RESPONSIO.

Postremæ tuæ literæ, inclusis à præclara virgine Waldkirchia profectu gravidæ, primo aspectu magnam mihi lætitiam afflarunt, utpote quæ te nostri veteriamnum memorem palam contestentur. Verum has ipsas perlectas variis animi motibus me affecisse, inficiari non possum: verecundiæ quippe sensu, mox sollicitudine de dubia tibi visa nostra ὑγιείας hyparxi, nec non commiseratione, admiratione atque paraclesi super persona Waldkirchiæ ante laudata, charissima tuæ consobrinæ, cujus historiam depingis. Enimvero quod laudibus parum mihi congruentibus me prosequeris, invidioso scilicet principis medicorum titulo me compellando, verecundari omnino cogor ipsumque plane recusare, tanquam præter meritum mihi tributum: mecum enim habito probeque novi quam sit mihi curta supellex. Quod vero amorem in te meum cœcitatis suspectum habes, ac si præ hujusmodi cœcitate pluris te facere videar quam debeam, eo ipso meum amorem non satis callere te intelligo; qui nunquam in amicitiam admisi fortuitum quenquam, priusquam ipsius pretium penitius cognorim, neminique quod sciam indigno ex puro puto impetu aut sympathia me applicare volui, ut faciunt non pauci: quin imo pro philtris genuinis semper mihi virtutem aut eru-

eruditionem hominum propositus, ad amoris sinceritatem cum iis concipiendam ac stabiliendam. Quo fit ut meum in te amorem legitimum esse, neque cæcutire, persuasum habere in posterum debeas; cum tuam non modo philomathiam sed & polymathiam ac callimathiam tum ex colloquiis tecum habitis, tum ex epistolis, tum ex tuorum opusculorum lectitatione abunde exploratam habeam. Et certe indecorum, si quid aliud, foret nec rationi satis consentaneum, si tali amori cæco indulgeret homo medicus, cui serpens Epidaurius acerrimo visu præditus pro symbolo non injuria esse debet. Tristissimus ille casus eximiæ puellæ Waldkirchiæ, præ quo utriusque oculi videndi facultatem jam inde ab incunabulis amisit, summo doloris sensu ac miseratione non sine causa me affecit: & sane quis talia fando vel audiendo temperet à lacrymis? At vero dotes ingenii luculenta, quibus jacturam tam pretiosi sensus rependere ipsi voluit Deus ter opt. max. dolori omni leniendo incredibile præstare debent paregoricum, tum patienti ipsi; tum parentibus cunctisque qui tanti infortunii accepti memoria tanguntur. Inprimis vero admiratione dignissima mihi videtur industria literas animo inculcandi ac depingendi, qua docilis virgo ab ingeniosissimo patre fuit erudita ita ut hac ratione commercio literario suo modo vacare possit, quod cæcis hactenus negatum fuit. Memini ante hos quadraginta annos non incelebrem quendam verbi divini illo tempore præconem, nomine, Le Veslheux, domi

 ad

ad manum habuiſſe pulpitum quoddam quadratum, ſuis hinc inde claviculis confixum, quibus fides ſeu chordulæ minutæ attenſæ erant, beneficio quarum dirigebatur calamus ſcriptorius, quoties nimirum aliquid notatu dignum ad acroamata divina, quæ parabat conveniens per noctem decumbenti ſuggerebatur, quod memoriæ cauſa, abſente lumine, chartæ illinendum judicabat: a qua machinula non abludere mihi videtur ea quam excogitavit, vir ſolertiſſimus ad præfatum ſcriptionis negocium. Memoriæ felicitatem qua pollet eximia virgo, tecum libenter retulerim ad animalium ſpirituum integritatem, quos objecta viſibilia ſuis incurſionibus non turbant nec inquietant, ut ita à contemplationibus aliarum rerum non avocentur: quem etiam in ſcopum Democritus Philoſophus dicitur quibuſdam ſeſe elucificaſſe, ut Laberiano verbo utar apud A. Gellium cap. XVII lib. XIX N. A. ſi modo iſtud credere fas ſit. Adjunctum epiſtolium ut ornatiſſimæ virgini tradas cum officioſiſſima ſalute oro rogoque. Vale, meiſque verbis excellentiſſimum Bonetum ſalvere jube. Dat. Lugduni Gallor. menſe Decembri CIↃIↃCLXXIX.

JOH. CONR. PEYERI
HISTORIA
ANATOMICO-MEDICA
DE

Fœmina aſcitica; cujus lien erat minimus & ductus pancreatis maximus;

ad Virum Celeberrimum

THEOPHILUM BONETUM
Medicum Genevenſem.

PARERGON QUINTUM.

Q. Horat. Flaccus lib. I. epist. XIII.

Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

Et lib. II epist. I.

. . . . *Quod medicorum est*
Promittunt medici.

De muliere ascite defuncta cui lien fuit minimus, ductus autem pancreatis maximus.

HISTORIA ANATOMICA AD

Virum Celeberrimum

THEOPHILUM BONETUM.

HAut invitus, spero, feres, ô Theophile, cum magno semper honore me affeceris, nomini tuo observationem hanc inscribi, quæ quidem mea non est, sed præceptoris mei quondam Henrici Glaserii magna laude æternaque memoria dignissimi. Reddo vero quod debeo & quod tibi pridem consecratum fuerat. Memini enim probeque recordor beatum Glaserum historiam hancce eum præcipue in finem condidisse ac scholio illustrasse, ut ea sepulchretum tuum inviolabile exornaret. Quid autem postea obstiterit quo minus tibi traderetur, utrum negotia viri occupatissimi an mors præveniens, equidem me fugit. Apographum sane inter schedas meas alias forte fortuna nuper inventum tanti mihi visum est ut inde pietatis ergâ præceptorem & mei in te amoris monumentum erigerem. Ita vero illud sonat ad

verbum: *Inter cadavera quæ hactenus pro more in academia nostra recepto hyeme quotannis mihi dissecanda incubuerunt, anno MDCLXXII mense Ianuario unum mihi obtigit mulieris cujusdam sexagenaria majoris, macilenta, fusca, quæ ascite exstincta fuerat, in cujus apertione sequentia notatu digna se obtulere. Removendo imis ventris integumenta communia cuticulam passim a subjecta cute separatam, perque hujus poros transsudans serum deprehendi. Quin & membrana illi ac pinguedini substrata hic illic hydatidibus scatebat. Præ ceteris verò partibus frequentes istæ in regione lumborum conspiciebantur, ubi serosus humor diuturniore mora condensatus gelatinam speciem referebat, cute circumquaque livida, corrupta, serum tenuius copiosè transmittente. Dissecto peritonæo hepar quidem & pancreas sua quodque magnitudine, figura, substantia atque colore, pro ætatis hujus ratione, satis naturalibus præditum reperi. Lien quoad hæc omnia naturaliter habere quoque visus est, una excepta magnitudine, quæ fabam majusculam non excedebat; sed & membranæ illum investientis partem circiter sextam putre serum exederat. Contra foramen in jejuni intestini principio, quod hic ductus pancreatico pariter & poro bilario commune erat, tanta repertum fuit amplitudinis ut digiti auricularis apicem immittere liceret. Denique venarum, arteriarum; nervorumque huic visceri insertorum divaricationes breviores esse videbantur quam pro naturæ lege.* Historiam dedimus. Scholium ab autore

pro

pro modulo suo adjectum ita habet: *Quemadmodum in musti fermentatione feces crassiores secernuntur ad dolii fundum deturbantur, sic dum chylus in corde, hepate, & liene coquuntur atque fermentescit feculentus humor, melancholicus vulgo dictus, necessitate inevitabili generatur. Hunc viscera non protinus ut genitus est extra corpus eliminant; sed crebris per ea periodis & circuitibus calore suo copioso magis magisquè attenuant & perficiunt, perfectumque cum aquôsa sanguinis parte miscendo in serum convertunt, quod deinceps ad glandulas conglomeratas salivales & pancreaticas per arterias delatum in salivam succumque pancreaticum, ad glandulas vero conglobatas eorundem vasorum ope appellens in lympham facessit. In illo quidem munere obeundo lieni primas partes tribuendas esse existimo; quippe in cujus cellulis fæx hæc subsidit, tamque diu moratur, donec sufficienter attenuata & aquosa sanguinis parti permixta fuerit, ac quoad subtiliores sui partes in vasa lymphatica è liene emergentia distribui, quoad paulo crassiores autem una cum sanguine in venas remeare possit. His ita suppositis (quæ sufficientibus rationum momentis facile confirmarem, si temporis & instituti ratio pateretur) manifestum est in hac femina lienem mole minimum toti melancholicæ faci recipiendæ & attenuandæ imparem fuisse; hincque adeo factum, ut serum totius massæ sanguineæ salsum nimis ac tartareum evaserit, quod cum a glandulis pancreatis in succum justæ consistentiæ converti non potuerit ductum pancreaticum prima*

ma ætate adhuc tenerum continuo transitu dilatavit & amplificavit. Cæterum ascitem & quæ inde pullularunt symptomata iis quas nunc subiiciam causis adscribenda esse puto. Nempe cum præfatorum viscerum robore non solum crassa attenuari, sed & inutilia expelli per loca convenientia debeant, accidit ut calor eorum ingravescente ætate maximam partem absumtus & hinc succrescente indies majore fæculentorum humorum copia pene suffocatus tandem oneri succumberet, sicque serum hoc præternaturale in massa sanguinea retentum in abdominis cavitate, necnon pedibus, femoribus ac lumbis stagnaret. Id autem duobus maxime modis contigisse verosimile est, immediate inquam & mediate. Immediate quidem serum statim à sanguine secedens eò redundavit: cum enim arteriæ languidius in hoc corpore effœto pulsarint sanguis quidem spirituosior per poros partium in venas propelli potuit, serum autem frigidius in mediis vasis hæsit, aut si in venas transsumtum fuit illic ob lentum sanguinis motum nimiam moram agens venarum tenues tunicas distendendo per διαπήδησιν transsudavit. Mediantibus vero vasis lymphaticis idem accidere potuit, quatenus lympha ex sero hoc nimis salso & acri acrior genita tenuissimam vasorum suorum tunicam corrosit, & in vacua abdominis spacia viam sibi patefecit. In pedibus autem asciticorum tumor ferè incipere solet, quod hæ partes frigidissimæ sint, utpote à corde ceu fon-

te

te caloris procul remota. Quare cum sanguis motu admodum lento eas transeat serum hoc maxime frigidum & spiritu fere omni destitutum dictam ob causam hic stagnare necesse est. Sed & peculiari de ratione tumores ejusmodi in pedibus frequentiores fiunt, quia serum tartareum innata quidem gravitate facile descendit, sed difficulter ascendit. Lumbos potissimum id infestavit, quod propter decubitum in eam partem majore impetu serosus sanguis affluxit. An vero & per cæcos occultosque meatus serum ex abdomine eo penetrarit, iis æstimandum relinquo qui non ignorant in tibiæ fracturis saniem interdum ex profundo usque ad superficiem propelli & fascias cruri fracto circumvolutas inficere. Hydatides in membrana adiposa oborta sunt seropelliculas a subjecta pinguedine divellente, quod si diutius immoratur tandem subtilioribus partibus à calore dissipatis in gelatinam concrescit, uti in multis cadaverum dissectionibus in nosocomio nostro una mecum studiosi, quos eo nomine illuc deducere soleo, sæpe observarunt. Idem serum cuticulam à cute diversis in locis separavit. Lumborum autem cutis livorem & putredinem contraxit, quia calor nativus ob decubitum in eam partem & majorem serosi humoris affluxum suffocatus fuit. Tantum est quod in hanc historiam autor commentario proditum reliquit in apographo nostro: nos addere plura, quædam etiam magis illustrare ac emendare possemus, si instituti ratio id

fer-

ferret. Quare hæc aliaque id genus exercitationi singulari de hydrope reservantes coronidis loco monemus optandum esse ut Johannes Jacobus Stæhelinus defuncti soceri sui observationes anatomicas & medicas edi curet, longe plus commodi ac laudis parituras quam tractatus ille posthumus de cerebro, quanquam neque hunc inutilem aut vituperandum esse censeam. Novimus enim ab isto & sagaci & laborum patiente viro præclarum experientiæ thesaurum fuisse congestum, haut alium in finem quam ut publicæ utilitati aliquando exponeretur. Forte autem ansam hinc captabunt curiosi quidam de liene parvo differendi, cum alii non desint qui de magno scripserunt: quod ut fiat est cur optemus potius quam operi manum ipsi nunc admoveamus, quippe id genus experimentis propriis parum instructi. Erit tamen aliquando favente Deo unde curiositatem nostram pascere simul & desideria multorum implere forsan poterimus. Cæterum de liene parvo unam alteramque historiam ex Thonero & Sphaero quidem anatomiæ tuæ practicæ, Herculeo plane aureoque operi, insertam esse novimus, sed tantæ exilitatis splenem, quantulum hic dedimus in adulta & vetula muliere, hactenus fortassis nemo observavit.

Parergi quincti finis.

JOH. CONR. PEYERI

HISTORIA

ANATOMICO-MEDICA

DE

Muliere hydropica, cui abdomen fuit plenum tumoribus & uterus tuberosus,

ad Clarissimum Virum

JOHANNEM DE MURALTO

Chirurgiæ & Medicinæ Doctorem.

PARERGON SEXTUM.

Petron. Arbiter.

Priscis temporibus, cum adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum sæculis diu lateret.

HISTORIA ANATOMICA

De tumore abdominis hydropico cum tuberibus in utero,

Ad Vir. Clariss. Johannem de Muralto.

CUm justitiæ sit suum cuique tribuere, reprehendi plane nequeo quod observationem istam utpote tuam tibi dedicem, Muralte charissime; nec tu aliter potes quam benevole acceptam tuam omnem æqui bonique consulere. Nam quæ dedisti eadem & reddo, ast aliis verbis & subinde aliter hortatu tuo à me disposita, ut concinnior prodiret narratio, si quid modo gratiæ ac concinnitatis est stylo meo tenui. Sed ad rem. Vitæ in otio ac cœlibatu sedentariæ assueta femina Episcopicellana E. R. cum ad menstruorum enormitatem uterique prolapsum inde à juventute sibi molestum emendandum thermis Badensibus Helveticis infeliciter usa esset pessime exinde valuit. Reducem quippe gravia uteri tormenta, lumborum totiusque abdominis dolores acerrimi, denique convulsiones ex intervallis crebro affligere atque per vices modo remissius nunc intensius exagitare, cum paulatina temperiei naturalis sanguineæ in pituitosam mutatione, qua cachexiæ via strata. Menstruum tributum sanguineum, quod sequior sexus naturæ debet, sexagenaria major adhuc persol-

vit,

vit, exactoti tam rigido & accurato ut nunquam deficeret sæpéque solventem triduum vel quatriduum præ cruciatu tortis lumbis lecto mergere. A pubertate ad senectutem nihil emendata transiit uteri procidentia, cujus mali pudore virgo matrimonium oblata quavis occasione recusavit. Interea autem neque medicos spernens neque advolantes undecunque circumforaneos, datas à singulis panaceas spe sanitatem recuperandi diligenter in usum traxit, absque tamen emolumento. Menstruis enim ultimo vitæ suæ quadriennio jam deficientibus convulsiones & cruciatus hystericos indies vehementiores perpessa tandem epigastrium crurâque interdiu sibi tumere sentit, detumescere noctu. Inde vero ab autumno præterito anni à Christo nato supra millesimum sexcentesimum septuagesimi noni abdomen universum usque eò constanter intumuit, ut ægra semper decumbere teneretur, atque ob tumoris incrementum, sensibile suapte incedere vel negotiis domesticis amplius vacare nequiret. Quo in discrimine consulti medici arduum putarunt immedicabili morbo auxilium invenire: nam medicamentis frustra obnitentibus venter quotidie magis magisque crevit, donec sesquipedem tensus extaret. Lotium ægra citra difficultatem reddidit, sed turbidum cum sedimento farinaceo. Fuit & alvus illi perpetuo libera. Pulsus autem celer & frequens. Respiratio laboriosa difficilisque anhelitus. Vomitu etiam ingesta sæpe ejecit, nec non bilem tenacem seu viscidam. Fa-

cle demum plane degenerante, & toto corpore præter abdomen valde extenuato, cum sanitas victa succumberet mors languoribus finem optatum imposuit. Nuncio obitus accepto matrona nobilis Cleopbea Schobingera Sangallensis, medicinæ & anatomiæ amore singulari flagrans, atque ob præstitam mulieribus in difficili partu opem multiplicem clara, desiderium & curas ad cadaveris illius dissectionem convertit. Igitur ut voti compos fiat defunctæ consanguineos adit, precibusque orat humaniter, perluttrandum sibi id concedant quod nequeant negare vermibus. Qua interpellatione assensu propinquorum impetrato præstantissimus Sylvester Samuel Anhornius Medicus Sangallensis confectoris munus in præsentia nobilis matronæ jam laudatæ obivit. Filo tunc commensuratus venter ulnis duabus cum semisse amplius extumuisse visus est. Dextro mollius sinistrum hypochondrium livebat, & hypogastrii regio tactui renitebatur. Tumebant vero præter naturam quoque pedes, sed impressorum tamen vestigiorum neutiquam tenaces: Abdominis integumentis communibus divisis emanarunt seri unciæ aliquot. Hic etiam panniculum, quem vulgo carnosum appellant, glandulæ complures à dextris stiparunt, molles, latæ, & seri plenæ. Musculis dehinc ablatis, qui propemodum ad membranæ tenuitatem emarcuerant, sub peritonæo latens tu-

mor singularis omnia fere intus implevit, quippe facci speciei intestina operiens intestinisque præterea bonam partem sursum ad diaphragma compulsis dorso perinde adnatus hærens ac peritonæo. Ex aperto tumore isto sanies vini rubri fæcibus tam consistentia quam colore similis prorupit, tanta copia ut media amphora adimpleretur, quæ quantitas nostrates pintas circiter duodecim constituit. Constabat autem ille ex crassa tunica tanquam cortice, & divisus erat intercedente membrana intergerina in binas cavitates, non æquales penitus, sed alteram altera nonnihil majorem. Præter hunc omnium vastissimum tumores seu abscessus alii minores delituerunt in abdomine, qui juglandem aut anserinum ovum vel etiam pugnum magnitudine singuli haut excedentes itidem sarti turgebant viscida ac saniosa illuvie. Omenti nihil prope superfuit, quippe putredine consumti. Ventriculum & intestina gracilia humor viscidus ac biliosus implevit. Mesenterii ea portio quæ cum intestinis tenuibus committitur inflammata apparuit, & glandulæ ejus pleræque induratæ. Colon intestinum inflammatione corruptum. Lien paulo tumidior æquo. Pancreas scirrhosum. Bilem vesicula fellis pallentem nec valde amaram in se continuit, præterea calculos aliquot minutos, friabiles, betæ semen & colore & magnitudine & figura quodammodo referentes. Hepar plane variega-
tum:

tum: nam pars ejus quædam alba, alia rubicunda, pars deniqoe fusca fuit, & portæ sanguis in grumos coactus. Tumorem maximo vesica urinaria tantopere adhæsit ut sine disruptione separari integra non posset. Tumorem vero stiparunt etiam vasa sanguinea, utrinque circa testiculorum vel potius ovarii muliebris regionem exorta. Uterum naturali quatruplo majorem mireque gibbosum seu inæqualem illustris Schobingera Johanni de Muralto Medico anatomico atque chirurgo perquam sagaci examinandum misit Tigurum; ubi præsentibus medicorum filiis Philippo Coorado Heideggero, Antonio Schachtlero, Bartholomæo Schobingero, aliisque præclaris & doctis viris, oempe Jacobo Ruetlingero & Rudolpho Pestalozzio, observata fuit enormis durities, quasi uterus scirrhus esset totus. In vagina & collo matricis hydatides aliquot minutæ stabulabantur, oec non tenax mucus copiosus. Uterum verò occupabant globosa quædam corpora, venis & arteriis prædita ac utero ipsi adnata, numero quidem plura, at magnitudine diversa, ceu io appositaicone videre est. Illis molarum nomen imponere libuit, quarum maxima ovum anserinum magnitudine adæquavit. Isti vero suppar alia crusta lapideæ flavescenti ac inæquali involuta erat, admirationem pariente spectaculo. Cæteræ omnes qua exemtæ qua io utero relictæ juglandis instar fuerunt, vel certe

juglande parum majora minoraque ac è substantia tenaci fibrosa membraneave compositæ, similes ovo. Uteri tuba dextra insigniter patuit, sinistra existente clausa. Ovorum humanorum vestigia quædam palpabantur in utroq; testiculo. Vulvæ labia tumebant. Pulmones ater cruor stagnans corruperat, nec non abscessus & scirrhosa quædam tubercula. Cordi paucum sanguinis restitit, in sinistra quidem cavitate fluidi, in dextra vero coagulati; ubi etiam morari visus polypus non spernendæ magnitudinis.

Schematismorum explicatio

ICON I.

A A A. Uterus inæqualis & tuberosus.
B. Tuber seu molecula carnea vel potius massula in externa uteri superficie superne prominens.
C. Matricis apertæ cervix.
D D D. Tubera seu molæ in utero relictæ.
E E E E. Foveæ sive sinus à tuberibus exemtis residui.
F. Testiculus seu ovarium dextrum.
G. Tuba uteri.
H. Ligamentum rotundum cum vasis sanguineis.
I. Vesica urinaria reclinata.
K K. Ureteres.
L. Intestini portio.

ICON II.

Tuber seu mola maxima utero exemta, cujus superficiem perreptant vasa sanguinea complura, *α α α* notata.

ICON III.

Tuber seu mola minor, cujus pars *β* incrustata erat quasi cortice testaceo flavescente & aspero; pars *α* se habebat uti reliquæ massulæ.

ICONES IV. V. VI VII. VIII

Molarum exectarum utero exceptarum species repræsentant figura ac magnitudine diversas.

on. I.



JOH. CONR. PEYERI
MIRACULUM ANATOMICUM
IN CORDIBUS RESUSCITATIS

AD

Experientissimum Doctissimumque Virum

JOH. JACOBUM HARDERUM
Basileæ M. D. & P. P. nec non illustris Academiæ Cæsareæ naturæ curiosorum socium, dictum Pæonem;
cum hujus additamento.

PARERGON SEPTIMUM.

Præclare & sapienter M.T. Cicero quæst. Tuscul I.

Nos ne nunc quidem oculis cernimus ea quæ videmus: neque enim est ullus sensus in corpore; sed ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta & patefacta viderunt, viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares, à sede animi perforatæ. Itaque sæpe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videmus nec audimus; ut facile intelligi possit animum & videre & audire, non eas partes quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens nisi id agat & adsit.

Miraculum anatomicum in cordibus resuscitatis & de Salmonum sexu quædam

AD

JOH. JACOBUM HARDERUM

Basileæ M. D. & P. P.

VItam amamus omnes, pauci quid & quotuplex sit ea bene intelligunt. In animalibus fons ejus cor esse vulgo creditur; nec absone, si nomine vitæ prodit sanguis, qui etiam anima brutorum dicitur in sacris literis æque ac philosophorum optimorum libris Hi enim negant animantibus animam esse diversam à sanguine & spiritu, quem animalem vocant, præterquam homini. Animal igitur communiter tunc vivere judicatur cum machinam ejus vel membrum quoddam inclusus sanguis ac spiritus aëreus agitat. Sed longè alia potiorque vita est quam vivunt mentes creatæ, utpote mori nesciæ, & Deus, qui vivit ab æterno in æternum. Nos de peritura vita corporea hic tantisper agemus dum potiamur æterna & beata. Agemus autem tanquam per ludum, cum vita hæc ipsa nisi ludus non sit; ita tamen præterea agemus ut operam incuriose haut ludamus curiositatibus. Ovi gallinacei quatriduum incubati corculum postquam à motu omni cessaret, nullumque vitæ specimen amplius exhiberet, vitæ reddidisse

inclytus Harveus gen. anim. exerc. XVII legitur, cum ovatione glorians se pro libito misellam animam vel morti tradere vel in lucem revocare potuisse. Eximium planè facinus & cum tanto viro tum admiratione omnium dignissimum. Elucescit vero imprimis hinc perinde ac ex observationibus nostris in medium postea conferendis quanta sit fibrarum cordis ad motum propensio, quæ licet investigatu difficillima testimonium tamen ipsa perhibet latentis artificiosæ compositionis musculorumque fabricam arguit esse tam exquisitæ subtilitatis & diversi apparatus, ut ingenii humani hebetudinem æternum sit fugitura. Probare quidem Harveus etiam instituit corculum. illud saliens pollere sensu: verum cur ei refragemur sat nobis causæ est, si veniæ satis. Fieri namque motus iste sine sensu potest, & ad eum in corde ciendum spirituum animalium vel objecti alicujus extranei impressio sufficit; at sensus animam supponit, eamque immaterialem, hoc est mentem sentiendi facultate præditam, quam brutis denegamus: nec fieri unquam posset, si vel maxime lagiremur, ut anima semel à corpore disjuncta postliminio ad nutum nostrum rediret. Quod autem in majoribus ac adultis animalibus hominibusque aliquando experti sumus prope ad miraculum accedit. Contigit enim nobis eorum corda aliquamdiu intermortua in vitam revocasse: non quidem reducen-

do

do manes ab orco, quod hominum potestatem superans divinas aut magicas artes saperet; sed fibris egelidis motum denuo inspirando, quem diu post continuarunt. Hac de re jam olim quædam in dedicatione exercitationis nostræ de glandulis intestinorum obiter diximus. Plura deinde Joh. Jacobus Wepferus laude summa dignissimus Hist. Cicut. aquat. cap. VIII pervulgavit, significans præterea generum quoque suum Joh. Conr. Brunnerum, magnæ sagacitatis ac peritiæ medicum & anatomicum, experimenta nostra imitando feliciter assecutum fuisse. Primum autem quod patravimus miraculum casu editum est in fele, paulo postquam abortum fecisset demortua. Hic cum diu jam obriguissent omnia, abdomine ac pectore reserato, cisternam chyli & lymphæ inflantes observavimus cor non tantum impleri verum etiam tumescere, sed etiam auriculas primo & paulo post se totum sæpissime horis pluscululis vibrare. Tandem aucta rei novitate, ut in aliis cadaveribus, etiam humanis, eodem successu eadem evenire vidimus, è fortuitis miracula nobis succreverunt arbitraria. Aliis tamen facilius corda alia resuscitantur. Sæpe præter aërem insufflatum, quem calidum esse expedit, opus est externo fotu. Hunc vola præstet, aut spongia fervente aqua calefacta. Tripudiant autem diutius ac fortius vel brevius & remissius, pro animalis fato. Suspensorum corda

facile motum recipiunt servantque recuperatum diutissime: nam fibras non fregit morbi vis aut diuturnitas. Nonnunquam flatus etiam per venam cordi traditus idem præstitit quod inspiratus in chyli receptaculum. Satius tamen est venas nullibi hiare, ne qua aër infructuose prolabatur. Sed quorsum hæc omnia? Non aliorsum hercle potius quam ut erroris è re præsente denuo convincantur, quotquot præjudicationi suæ tenaciter adhærentes, insuperhabitis rationibus fortissimis, cor putant ab anima sentiente moveri, atque negant id salire homini posse ubi semel mens è corpore discessit. Apparet deinde etiam quanta sit aëris in movendo corde efficacia, qui præterquam quod sanguinem rarefaciat ventriculosque cordis dilatet fibras ipsas ingreditur & motum instaurat. Nam constans quoque sententia nostra fert spiritus animales, à quibus cordis motus primario dependet, naturæ esset aëreæ. Quodsi ergo morte defunctorum cordibus spiritus animales hærent superstites, pauci licet atque ad quietem compositi, ab aëre tamen inspirato excitari facile poterunt, motusque ciebitur, tamdiu duraturus quamdiu aër & spiritus aderunt agitandæ cordis moli pares. Cæterum cor salmonis semel & triquetrum postquam à corpore avulsum diuque jam conglaciatum fuiss. t memini accedente calore & fotu manus meæ iterum iterumque tripudiasse. Constat vero piscium pluri-

plurimos nec non insecta & alia quædam animalcula motus sui aut vitæ admodum esse tenacia, adeo ut in partes quoque dissecta sese aliquamdiu adhuc motitent, imprimis si adhibito stimulo insuper lacessantur. Quo ipso luce meridiana clariùs apparet motus istos sine sensu edi: quis enim animam sentientem dividi aut sectione multiplicari posse existimet? Salmonibus autem apud nos certa & constans est sexus nota, maxillæ inferioris aduncitas, quæ in omnibus maribus semper observatur; femellæ os perinde uncum non habent: tamque indubitatum est hoc signum, ut nec piscatores fallat, ad id unice attentos. Quod quidem hic annotare operæ pretium judicavi, ut præter Joannis Jonstoni opinionem ex nostri curvatura sexum tuto distingui posse manifestum fiat. Melius quoque piscatorum indigenarum fide quam Kentmanni ambiguis narrationibus niti potuisset Gesnerus, si voluisset. De Rondeletio vero atque Bellonio dicendum est aut lapsum esse utrumque, quandoquidem de sexus discrimine nostris plane contraria scripserunt, aut eorum salmones aliter quam nostri visuntur fuisse conformatos.

JOHANNIS

JOH. JACOBI HARDERI
ADDITAMENTUM

Ex literis d. XI Februarij CIↃIↃCLXXXI
Basilea ab ipso ad me datis.

IN ciconia veneno enecta hora post aëre per arteriam aortam insufflato cor pulsitare feci. Motum hunc magis evidenter vidi aliquoties in cuniculis Brasiliensibus, pluribus post eorum strangulationem horis. Aliam licet diligenter ruminatus sim caussam indagare non potui quam spiritus animalis ope substantiæ nerveæ in fibris cardiacis resuscitationem. Et quid de cochleis meis dicendum, quarum frustulatim fere discissarum corculum, multo tempore post, aëre per arteriam infuso, motus ingeminare vidimus sæpius? Memini quoque demonstrante ante annos plures generationem pulli ex ovo excellentissimo Glasero p. m. punctum saliens emortuum priori ovo supposita resuscitatum fuisse. Ast quis hoc sanæ mentis animam aliquam sensitivam, non quoad essentiam sed dependentiam materialem, uti crasse philosophantur nonnulli, reliquam accusare audebit? Oportebit ut talis nondum omnino rediens in potestatem materiæ ex qua multo cum labore fuit deducta, cum tamen animali mortuo hoc ut fiat illud necessum sit, uno mors ipsa per reditum hunc accersatur. Vita in sanguinis versus singulas partes motu consistit, cui in brutis spiritus intrinsecus accedit, vitam nobiliorem efficiens. Id animum agitavit jam multoties quod Hippocrates lib. περὶ καρδίης scriptum reliquit. Γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, καὶ ἀρχεῖ τῆς ἄλλης ψυχῆς. τρέφεται δ' οὐδὲ σιτίοισιν, οὔτε ποτοῖσιν ἀπὸ τῆς νηδύος ἀλλὰ καθαρῇ καὶ φωτοειδεῖ περιουσίῃ γεγονυίῃ ἐκ τῆς διακρίσιος τοῦ αἵματος. Mentem sinistro cordis ventriculo includere absurdum, absurdius adhuc illam sanguine nutriri asserere. Non crediderim Cois hanc fuisse opinionem, sed cum de animabus alius hic loqui potius existimaverim.

Parergi septimi finis.

INDEX

Nominum propriorum, quorum testimonium & autoritas allegatur, laudatur, emendatur, illustratur, in parergis nostris.

NB *Numeri uncis* () *&* [] *inclusi, paginas Exercitationis primæ de Gland. Intest. ante hac editæ notant. Cæteri verò reliquorum sex Parergorum folia indicant.*

Ema-

INDEX. I.

Finis indicis primi.

INDEX

Rerum memorabilium in Parergis nostris.

Avium

Hy-

Ovum

INDEX

Te

FINIS.



INDEX

Hy-

INDEX

Ovum

INDEX

Te

Usus

F I N I S.